



JS





Cat 7/82
150.00



CASPARI BARTHOLINI

OPUSCULA QVATVOR SINGVLARIA:

I. DE UNICORNU *eiusq; affinibus & succedaneis.*

II. DE LAPIDE NEphritico, *& Amuletis præcipuis.*

III. DE PYGMAEIS.

IV. CONSILIUM DE *Studio Medico inchoando, continuando & absolvendo.*

Cum Gratiâ & Privilegio.

HAFNIÆ,
Excudebat Georgius Hantzschius
Anno Epochæ Christianæ, 1628.

Index Capitum
Ex Opuſculo primo
DE UNICORNU.

Index Capitum
Ex opuſculo Secundo.

DE LAPIDE NEPHRITICO.

Cap. 7.

Ex Opuſculo Tertio.

DE PYGMÆIS.

Au-

Authores in tribus prioribus opuſcu-lis conſulti & citati.

Adrianus Turnebus.
Adr. Spigelius.
Ælianus.
Æneas Sylvius.
Albertus Magnus.
Albert. Wichgrevius.
Alexãder ab Alexãdro.
Alexander Trallianus
Alexius Pœdemontanus.
Amandus Polanus
Amatus Luſitanus
Ambroſius Pareus
Andreas Baccius,
Bellunenſis.
And. Cæſalpinus,
Libavius.
And. Marin. Venetus,
Andr. Thevetus
Angelus Batgeus
Ansbelmus Boëtius de
Bood
Anton: Ludovicus
Muſa Braſavolus.

Antonius Torquemada
Apuleius
Aquila
Ariſtoteles
Arnold. Villanovanus
Athenæus
Auguſtinus.
Avicenna.
Baptiſta Mantuanus.
Bartholom. Anglicus.
Barthol. Cabrolius.
Beda
Benedict. Arias Mõtan.
Benedictus Warchius.
Bernhard. Paludanus.
Bertinus,
Budæus
Cadamoſtus
Cælius Rhodiginus.
Cæſar.
Camillus.
Carolus Cluſius

Casp. Schwenckfeldius (*Medicus.*
Cicero,
Claudius Duretus
Clitarchus
Clutius.
Cornelius Scribonius de Lapide
Crates.
Ctesias.
Cunradus Gesnerus.
Cunradus Kircherus
Cÿprianus,

Dalechampius.
Daniel Sennertus.
R. David Kimchi.
David Rex & Proph.
Dion.
Dionÿsius Alexandrin.
Dioscorides
Donzellinus.

Emanuel Tremelius
Encelius,
Ernestus Burgravius
Esaias Propheta
Esdras
Eucherius
Eustatius.
Ezechiel Propheta,

Favorinus
Felix Platerus
Florens Sextimius
Forestus
Franciscus Alvaretz Lusitanus
Franciscus Ferdinandius.
Franciscus Junius
Franciscus Ruëus
Franc. Vallesius
Franciscus Vatablus
Fumanellus.

Gabriel Fallopius
Galenus
Garzias ab horto
Gellius
Georgius Agricola

S. Gre-

S. Gregorius.
Guilielmus Laurenb. ſenior.

Guilielmus Rōdeletius.
Gyraldus.

Hector Boëtius
Pintus.
Henricus Smetius.
Henricus Stephanus
Hercules Saxonia
Herodotus
Heſiodus.
Heſychius.
S. Hieronymus.
Hieron. Cardanus
Hieron. Mercurial.
Hildebrandus.
Hippocrates
Hollerius,
Homerus
Hondius.
Hugo

Jacobus Philipp. Bergomenſis

Johan. Andernacus
Jobus
Joh. Avenarius
Joh. Bapt. Porta
Johan. Boterus
Buxtorfius
Caßanio
Crato à Craftheim
Fernelius
Ferrerius
Forsterus
Fragosus.
Franciscus Vlmus
Goropius
Guilielmus Reiffenstein.
Kentmannus
Langius.
Lanfrancus
Laurentius Anania.
Lycosthenes
Mercerus
Piscator.
Renodeus
Schenchius
Talentonius
Tinnulus

Tze-

Ioh. Tzezes
Immanuel Meteranus
Ioachimus Camerarius
Isidorus.
Iuba
Iulius Cæsar Scaliger
Iulius Solinus
Iustus Lipsius
Iuvenalis

Laurentius Catellanus,
Hoffmannus
Ioubertus
Lælius à Fonte,
Leonhard. Thurneißer
Levinus Lemnius
Linscottus
Lucas Osiander
Lucanus
Ludovicus Vartoman.
Maiolus
Maldonatus
Marbodæus.
Marcellus.
Marinus (cuius Arca Noæ)

Marcus

Marcus Paul. Venetus
Marsilius Ficinus.
Martialis
Martinus Borrhæus
Matthias Lobelius
Matthias Vntzerus
Megasthenes
Menecles
Mesues
Michael Neander
Montuus
Moses
Mundella
Munsterus Cosmographus

Nicephorus
Nicolaus Fullerus
Lÿra
Nicol. de Comitibus, Venetus
Nicol. Monardes

Olaus Magnus
Onesicritus
Oppianus
Orpheus
Ortelius
Ottho Heurnius

Paulus

Paulus Apostolus
Paul. Jovius
Pausanias
Petr. Andr. Matthiolus.
Petr. Arlensis de Seud. lupis.
Bellonius Cenomanus
Philippus Camerarius.
Philes.
Philostratus Lemnius.
Photius
Pierius Valerianus.
Plinius.
Plutarchus
Pomponius Mela

Quintilianus.

Raderus
Rhases

Saxo Grammaticus
Serapio
Symmachus
Simplicius
Sigismundus Baro
Strabo

Suesa.

Sueßanus
uidas.
ylvius

Tertullianus
Theodosion
Theophrastus
Thomas Erastus
Thomas Jordanus
Thuanus

Valeriola
Vidus Vidius
Vierus
Vincentius
Vittichius
Vitus Vietor
Vlyßes Aldrovandus

Weinrichius
Wolfgangus Frantzius,

Xanctes Pagninus.

[1]

Folklore
§ Unicorn

CASP. BARTHOLINI
DE VNI-
CORNU

Eiusq; affinibus & succedaneis

OPUSCULUM.



Reverendo



Reverendo, Clarißimoq; Viro,

D. MATTHIAE IANO, SS. THEOL.

Doctori, Episcopo & Canonico Lundensi, nec non Canonico Roëskildensi,

Dn. amico, collegæ & Fratri in Christo dilectißimo

Hoc Opusculum inscribit

C. BARTHOLINUS.



DE-

De Unicornu, opuſculum.

Cap. 1.

An detur animal aliquod unicorne, et quotuplex, atq; ubi & quo nomine, quibusq́; proprietatibus eius in ſacris literis mentio?



Ovum non eſt, negari à quibusdam ea, quæ ipſi non vident aut viderunt: quâ ratione pleraq; à fide digniſſimis conſignata ſcriptoribus non tantum in dubium vocare, ſed præfractè falſitatis arguere cuivis eſset integrum. Longè rectiùs & cautiùs ſentiunt, qui Autoribus fide dignis tamdiu in eiuſmodi affirmatis credendum cenſent, donec omnibus mundi angulis perluſtratis, & inveſtigatis, rem quæ aſſeritur, minimé reperiri conſtet. Fuerunt ergò complures, qui Monocerota non tantùm eſſe dubitarũt, ut S. Ambroſ. lib. de bened. Patriarch. cap. 11. pag. 270. operum mihi: Sed etiam pro re planè commentitiá habuerunt, à pictoribus et rerum natura-

 lium

lium ſcriptoribus ad legentium et ſpectantiũ voluptatem pro libitu & arbitrio efficta: in quibus nomen ſuum profitentur Ambroſius Paræus Chirurg. lib. 20. c. 39. & Andréas Marinus Venetus, diſſenſionibus autorum in animali hoc deſcribendo permoti. Verum enimverò animal unicorne dari quicunq; negat, nimis ſe hoſpitem prodit in profanis pariter & ſacris monumentis. Et quoad profanas hiſtorias: primùm notum eſt, dari homines aliquando unicornes, licet non naturá, ſed eius quaſi quâdam aberratione, modo à nativitate, modò ætate procedente Jn cuius rei fidem duo primùm allegabimus exempla. Annotavit Dalechampius ad lib. 11. Plin. c. 37. annot. lit. d. cornu in fronte nobilis fœminæ natum, quã de Fortiuc Monſpeſſulani vocarunt, digiti longitudine; quod præciſum ipſe viderit. Pueri unicornis nati hiſtoriam his verbis refert Amatus Luſitanus cent. 1. curat. 51. Natus eſt puer cum corniculo in capite: non dolebat, nec quicquam obnoxij ex eo percipiebat; grandiore verò

facto

facto puĕro, cornu quoq; crevit, quod omnino deponendū ex capite puer contendebat, & à patre efflagitabat, ob id quod pueri illum cornutum appellabant: accersito igitur Chirurgo plus iusto audace: primó partem superiorem præcidit, ex quâ incisione, nullum puer ferè dolorem sensit: Chirurgus verò credens ità eventurum, si radicitus corniculum resecuerit: Opus aggreditur, sed infelici successu, brevi enim, vel intra paucas horas puer obijt. nec mirandum, quum cornu illud prædurum in parte inferiori, conflatum ex cranio et medullari cerebri substantiâ esset. Plura exempla videantur apud Schenchium observat. Medicinalium lib. 1. ex Lanfranco tractatu 3. doctr. 2. cap. 3. Chirurg. maioris. Lycosthene de prodigijs et ostentis. Weinrichio commentario de monstris. Paræo lib. 24. cap. 2. & alijs. Bartholomæus Cabrolius observat. Anatomica 11. tutò cornu à fronte resecari docet hac historiâ. Convenit me Monspelij Johannes Guy, carminator, sciscitatur tutòne illi à fronte

cornu nuper natum possem rescindere. Erat cornu sinistro in latere, sub pilis aliquantulum: hæc res anxium me habuit: Tota enim basis ossi adhærebat, longitudo dimidiati erat pedis, crassities pollicis, figura inæqualis, qualis in agno semestri: victus tandem patientis cornuti precibus, serrâ abstuli cornu, cumq; aliter sanguis sisti non posset, ferro ussi, escharam induxi, mundavi, carnem cicatricemq; adduxi. Dominus Reynac cornu mihi precibus extortùm in aulam misit. etc. Hæc Cabrolius. Cæterum cum de raris & præter naturam evenientibus, hoc loco non sit aut esse debeat nobis disceptatio, quando de animalium brutorum speciebus ordinarijs quæritur; an animal unicorne aliquod detur in rerum natura? Dico non dari tantùm, sed etiam plura, vel plures species. Atq; initio illorum inscitiam detegere est facile, qui cum Theveto in sua Cosmographia existimant Ringiferum seu Rangiferum in Norvvegia, præsertim eius superiori parte Finmarchia dicta, uti et Moschovitarum ditionibus

tionibus esse unicornem ; cum instar cervi bicornis sit, & anteriùs cervo similis, licet paulo minor,ramis cornuum latioribus ; atq; ante annos aliquot huc in Daniam cum compari advectus : quibus animalibus mirâ ratione provida natura Norvvegis superioribus , qui unà cum inferioribus Regi nostro Daniæ potentissimo parent, prospicere voluit. Mirâ enim pernicitate pollentibus Norvvegi pro equis utuntur , indies horizontem duodecies mutãdo rhedas per crepidines montiũ trahentibus peculiares ; ad escam vero carnibus eorũ ,lacte atq;ex inde caseo vescuntur:pellibus ad vestimẽta fruuntur, imprimis ocreas et calceos,quæ omne frigus arcere mihi narrarunt. Deinde inter minora animalium genera , quæ vnicum cornu , magnitudine & duritie minusculũ gerunt,tria videntur occurrere 1. Volucris Dynon , in Æthiopia , si verus Ælianus lib 10. c. 10. 2. Jnsectum volatile unicorne ,colore purpureo,magnitudine amygdalæ , cornu autem quantitate & figura aciculæ incurvatæ, Tale inter

rariora ſua et exotica reſervat Laurentius Catellanus, Pharmacopæus Monspelienſis elegans. *Vide Plin. l. 30. c. 5. & Alb. M. 3.* Serpentes unicornes, de quibus uti & bicornibus, tricornibus et multicornibus idem Albertus. At inter maiora animalia in universum videor mihi octo genera conſtituere poſſe eorũ, quæ unicum cornu geſtare reperiuntur, de quibus breviſſimè poſtea ſpeciatim agemus: Suntq; 1. Oryges vel capræ quædam ſylveſtres, de quibus Ariſtoteles. 2. Amphibia Africana, de quibus Garſias. 3. Marina Borealia, quorum cornua iam potiſſimùm apud magnates reperiuntur, et pro veris venditantur. 4. Boves Jndici & vaccæ Æthiopicæ unicornes. 5. Aſini Jndici. 6. Equus indicus unicornis. 7. Rhinoceros. 8. Monoceros, ſtrictâ vocis uſurpatione dictus & ab Autoribus deſcriptus: imò à quibusdam viſus, à nonnullis cornua eius viſa, ut infra docebitur.

Et cum paſſim Monocerotis fiat in ſacratiſſimis ipſis monumentis mentio; ut *Num. 23, 22. & 24, 8. Deut. 33, 17. Job.*

39, 12 & *seqq. Psal.* 29, 6. & 22, 22. 78, 69. & 92, 11. *Esa.* 34, 7. Et ipsius cornu Monocerotis etiam tanquam rei pretiosissimæ Job. 28, 18. & Ezech. 27, 16. Mirari subit inventos, qui talia negare ausint. Quanquam si quis cornua mihi obvertat, liquidò è sacris non constare quale & quæ species animalis unicornis à Spiritu Dei indigitetur; defendar de facili, non obscurè ex proprietatibus per contextum elici, ad quam speciem accedat proximè: atq; ad minimum apertissimè convinci animal unicorne in scripturis sacris l. l. d. d. nominari, cuiuscunq; illud generis fuerit. Dicitur enim Hebræis locis scripturæ dictis *Reem*, quod licet nonnulli cum Avenario Rhinocerota interpretentur; alij cum Hieronymo et Pagnino nunc unicornem, nunc Rhinocerota vertant, & Mercerus licet dubius atq; Buxtorffius unicâ hac voce utrumq; animal dictum denotari velint: rectiùs tamen sentiunt, qui cum 70 interpretibus,

Forſtero in lexico, Junio & Tremellio, & Oſiandro in paraphraſi Biblicâ, alijsq; plurimis interpretibus unicornem vertunt: *Raam* vel *Ramam* enim elevationem notat, altitudinem, ſublimitatem, quæ in eius cornu eſt conſpicua: Atq; plurimas proprietates unicorni in ſcriptura tributas Rhinoceroti non competere, infra patebit. Sic et *Ramot* rectiſſimè interpretantur Forſterus & Oſiander l. l. d. d. ipſum cornu unicornis apud Ezech. 27, 6. & Job 28, 18. non verò ut alij conjectantur, corallium; hoc enim *almughim* appellari dicit R. Dav. Kimchi. Deſcribit autem animal unicorne Spiritus Dei in ſacratiſſimis monumentis, ſequentibus potiſſimùm proprietatibus:

1. Summo robore, fortitudine inexpugnabili, & viribus. Num. 23, 22. & 24, 8. Deut. 33, 17. Job. 39, 14. Pſal. 78, 69.

2. Summa ferociâ, ut cicurari non poſſit, aut præſepi alligari, aut homini ſervire laboribus &c. Job 39. v. 12, 13, & 14.

3. Summá

3. Summa sævitiâ, crudelitate & nocendi cupiditate. Psal. 22, 22. Es. 34,7.
4. Saltu, agilitate, cursu. Psal. 29, 6.
5. Tandem ex cornu eminenti, excelso & æstimando, Ps. 78, 69. & 92, 11. quòd sit res pretiosissima & dignissima. Job. 28, 18. & Ezech. 27, 16.

Ex quibus facile est colligere, vnicorne in sacris literis aliud esse animal à Rhinocerote. Nam Rhinoceroti animali crasso & brevibus cruribus, adeoq; ad saltum & cursum non expedito quarta proprietas non competit. Deinde Rhinocerota posse ab homine mansuefieri, cicurari & tractari imo per longissima itinera duci infra dicemus; sicut & Leones, tigrides & pardi: quod pugnat cum secunda & tertia conditionibus. Præterea cornu Rhinocerotis multò est exilius, quam ut quintæ conditioni respondeat. Adde, Rhinocerota reverâ duo habere cornua; unum à fronte (aut juxta alios dorsi initio) alterum è naribus exsurgens.

Longè adhuc crassiùs errant in hi-

ſtoriá animalium hoſpites, qui cum Tertulliano *lib. contra Judæos c.* 10. *Gregor.* 31. *Moral.* 13. Jſidoro 12. *Etymol.* 2. & Beda *in* 39. *Job.* putant idem unumq; animal eſſe Monocerota cum Rhinocerote. Rem aliter ſe habere, ex utriusq; deſcriptionibus & proprietatibus infra evadet liquidum. Vnde Scalig. Exerc. 205 contra Cardanum inquit: Nequeo tibi, Cardane, aſtipulari, qui Monocerota ſub Rhinocerotis nomine pinxiſti: cũ duæ ſint belluæ longe diverſiſſimæ. Rhinocerotis eius picturam vidimus, cuius cadaver è naufragio eiectum eſt in Tyrrhenum littus: capite ſuillo, tergore munitus ſcutulato, cornu gemino, altero puſillo in fronte, altero in nare robuſtiſſimo, quo audaciſſimè pugnat, ac vincit Elephantem &c. Hæc ille. Jnjuriam autem Cardano factam à Scaligero c. 3. oſtendemus. Jnterim veteres & recentiores quoſdam Rhinocerota cum Monocerote confudiſſe autor eſt Geſnerus in iconibus quadrupedum pag. 64.

CAP-



CAPUT. II.

De primis sex animalium generibus unicum cornu gerentibus.

I. est ORYX.

DE hoc animali parci admodum sunt *Aristoteles & Plinius.* *Ille* 2. de hist. anim. c. 8 & 3. de part. anim. c. 2. *Hic lib.* 11. *Nat. hist. cap.* 37. & 46. *nempe esse animal in fronte unicorne & bisulcum, seu scissis pedibus. Quodnam animal fuerit, nunc est incertum: Quidam Orygem & Monocerotem eundem esse arbitrati sunt. Credo, inquit Scaliger Exor* 205. *quod legerent* ὄρυγα μονοκέρωτα. *Addit: Cæterum hoc eius Epitheton est. At huic nostro quo de agimus, nomen proprium. Hæc ille. Quidam putant,* Capræ *silvestris speciem fuisse, unicum cornu gestantem. Aliqui mosci capreolum, vel gasellam aut pygargum esse autumant; quibus tamen aliqui unum, aliqui duo cornua tribuunt. Gazellam*

autem

autem qui vel moſci capreolum faciunt vel unicornu, errare annotavit Geſnerus. & Scalig. l. d. *ait: Maiore etiam flagitio cum Gazella Orygem confudêre.*

II. Amphibion Africanum & Moluccanum unicorne.

G*Arzias ab Horto, Proregis Jndici Medicus ita de eo ſcribit: Referam quæ à viris fide dignis accepi. Jnter promontorium Bonæ Spei & aliud promontorium vulgò des currentes nuncupatum vidiße ſe affirmabant terreſte quoddam animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput & jubam equi haberet (minimè tamen marinum equum eſſe) cornu præditum, duos palmos, oblongo mobili, quodq́ʒ nunc in dextram, nunc in ſiniſtram obverteret, modo illud attolleret, modo dimitteret: Jd animal cum Elephante ferociter præliari, eiusq́ʒ cornu adverſus venena laudari. Eius experimentum factum propinato duobus canibus veneno: Alterum enim canem, cui dupla quantitate propinatum eſſet venenum, ſumpto huius cornu puluere ex aqua conualuiſſe; alium vero cui exiguâ quantitate*

titate venenum esset datum, nec exhibitum hoc cornu, statim mortuum corruisse. Hactenus Garzias.

Existimo autem non esse diuersum hoc animal à Moluccano illo unicorni, quod describit Thevetus in Cosmographia tom. 5. lib. 2. cap. 5. Nam & vires contra venena utrique tribuuntur, & aliàs præcipuæ notæ cum differentia aliquâ in cornu longitudine, quæ tamen etiam in aliis eiusdem speciei animalibus, sive ratione ætatis, regionis &c. Dicitur n. esse animal amphibium (instar crocodili) in una insularum Moluccarum, Camphurch *dictum, magnitudine cervam æquans, cornu gestans in fronte, mobile instar cristæ galli indici, trium pedum & dimidij longitudine, haut unquam hum'ano brachio crassius, adversum venena efficax: pilo cinerei coloris cervice obvestitâ: palmas habens duas anserinis similes quibus in aquis dulcibus salsisque ad nandum utatur; pedes verò anteriores cervinis affines, atque piscibus victitans. Dicitur & Rex insulæ eius feræ nomine insigniri gaudere, sicut alij in isto orbe Reges ferarum, piscium aut fructuum totâ regione sua nobilissimorum*

nomen

nomen ſibi adoptant. Hoc cornu indubiè eſt, cuius meminit Geſnerus in iconibus quadrupedum pag. 64 licet dubius et incertus cuius animalis; cū inquit: Audio ex novis inſulis Monocerotis nomine cornu adferri contra venena laudatum: quod quale ſit, nondum reſcivi, quærendum a. an ſit Rhinocerotis &c. Niſi vis alexipharmaca obſtaret, quæ huic cornu ineſt, probabile videri alicui poſſit hanc ſecundam unicornis ſpeciem eandem eſſe cum ſequenti tertia. Sed obſtat præterea nondum conſtare; an ſecundæ huius Speciei cornu eius ſit coloris, denſitatis, ponderis, ſpirarum &c. ut tertiæ, atq; an tertiæ ſpeciei unicornis animal ſit amphibion, eaq; partium corporis conformatione &c.

III. Vnicorne marinum boreale.

R Eperiuntur aliquando in Iſlandia & alijs locis ac inſulis Borealibus cornua ſine ullâ curvitate, rectiſſima, & cubitos aliquot longa, intus candida, extrinſecus colore eburneo, duriſſima, ponderoſiſſima, verſuras quaſdam naturales vel ſtrias profundiores quaſi arte factas habentia, aliquando particulæ

culæ cranij adhærentia, paullatim in mucronem desinentia, magis vel minus obtusum, ovi v. gallinacei circa basin crassitie. Referunt nonnulli in mari has bestias esse, & cornua certè multis aquatilium & marinorum esse, totidem verbis prodidit Plinius lib. 11. Nat. Histor. c. 37. in initio; an v. simul in terra degant, explorare nondum potui. Si Amphibia non sunt, procul dubio ventorum & glaciei substratæ commoditas ad littora eiuscemodi propellit cornua, aut si forte in fluvijs maioribus degũt, sicut Hippopotamus in Nilo, peculiare fortè genus Hippopotami fuerit; cum Niloticus cornu careat. Talia cornua non tantùm apud Regem nostrum Clementissimum videre est, sed etiam nonnullos in hac patria nostra nobiles viros, & ante annos aliquot tale Serenissimo Regi donum misisse dicitur Episcopus Senior in Jslandia Dn. Gudbrandus, optimè de Ecclesijs Jslandicis meritus & pijs omnibus ob Biblia Jslandica à se translata, suis typis, suis sũptibus, suis laboribus, iam annos ãte multos impressa, acceptus. Hoc cornu nullam singularem contra venena vim obtinere, ipse ego ante annos 14. expertus sum in canibus, cuius rei testis

testis mihi esse potest Clariss. Astronomus, affinis meus D. Christianus Longomontanus. Neq; hoc adeò mirum videri debet, cum neq; veri Monocerotis còrnu huius virtutis esse, ex inferius dicendis concedendum. Dixi singularem: *Nam Aëtius eius sententiæ est, omnia cornua, etiam vilissima aliquid virium adversus venena possidere. Vnde in locis hisce Septentrionalibus, ex cornibus boum maioribus olim pocula conficiebant, quibus adhuc apud nos non pauci utuntur. Noverat hoc fortè Plinius l. d. in hæc verba solutus: Urorum cornibus Barbari Septentrionales potant.* Salubriora *etiam esse cornea pocula, non modo Ælianus & Philostratus testantur, sed & veterum Medicorum instrumenta quæ cornea. Cornibus enim liquores mensurabant, clisteria administrabant &c. Gal. l.* 1. & 2. *de comp. medic. & lib.* 13. *Metho. Sed de his infra plura.*

Eiusmodi marina ex unicornibus cornua, inquam, apud nos non sunt infrequentia. Et tale est, quamvis longitudine insigne, quod vidi, Electoris Saxoniæ

inter

inter κειμήλια *Dresdæ asservatum, olim à* Friderico II. *l. m. Daniæ, Norwegiæ &c. Rege Electori donatum. Eius generis sunt duo Dresdensi longè minora, quæ Venetijs diebus festis vidi inter alios thesauros in templo D. Marci ad altare ostentata. Tale est quod Boëtius de Boodt l. 2. de Gemmis. cap. 244. Venetijs sibi à quodam simplicista rerum exoticarum studiosissimo ostensum scribit, quod ille pro vero unicornu habuerit. Boëtius v. falsò pro Rosmari dente. Referam eius verba*: Dum Venetijs essem ante annos viginti quinque, duo cornua mihi ostensa fuerunt, à quodam simplicista rerum exoticarum studiosissimo, unum quatuor pedum ad minus longitudine, ovi gallinacei maioris circa basin crassitie, quod paulatim desinebat in mucronem obtusum, color externus erat eburneus, internus albissimus, à basi ad mucronem ferè strias habebat, dicebat ille cornu esse Hippopotami animalis, ac verum unicornu, facultatibusq; unicornui attributis præditum. Hippopotanum sæpè depictum vidi, & antiqui Romanorum Jmperatores

peratores illius effigiem tum in nummis tum symbolis exhibuerunt; verùm absq; cornu, cuius a. animalis hoc cornu fuerit, hactenus scire non potui. Visum tamen mihi fuit Rosmari dentem esse. *Hæc ille.*

In Anglia sunt frequentissima talia cornua ex Islandia allata; & Antwerpiæ tria esse indidem advecta testis est Job. Goropius Becanus. Transcribam quæ hâc de re scribit Franciscus Ferdinandius: Cornua certe, *scribens*, quæ sub hoc nomine (Monocerotis) circum feruntur, neq; monocerotis, neq; indici Asini, sed neq; rhinocerotis etiam esse puto, sed ut plurimũ piscis potiùs cuiusdam qui in septentrionali plaga reperitur, Monocerotis dicti, eò quòd unicum in fronte maximum cornu habeat, de quo Olaus Magnus: Monoceros est monstrum marinum, habens in fronte cornu maximum, quo naves obvias penetrare possit ac destruere, et hominum multitudinem perdere, sed in hoc pietas divini numinis navigantibus providit cum ferox sit hæc bellua, tarditas sua

quam

quam habet maximam præviſa timentibus eius acceſſum fugam concedit Cuius etiam piſcis meminit in monocerote Albertus Magnus, & alij qui de piſcibus copioſè tractarunt. Non itaq; nos circulatores cornua venditantes Monocerotis circumveniant, ſi huius venditant piſcis cornua: ab illorum tamen emptione ſenſatus quiſque, ni ſuas in caſſum abire pecunias velit, abſtineat neceſſe eſt. *Hæc Ferdinandius.*

Tale indubiè fuit Marchionum Badenſium, quod anno 1520 *in Helvetia ad ripam fluminis Arulæ repertū ſcribunt, de quo & ſimilibus, non immerito dubitavit Baccius, Jmmò vix hodiè aliud genus Magnatibus pro vero venditatur, qui foſsile, de quo infra, vi alexipharmacâ tamen longe ſuperius, pro adulterino agnoſcunt. Non eſſe tamē verū Monocerotis cornu, quod antiqui deſcripſerunt, & recentiores quidā, cum deſcriptionibus illis conveniens viderunt, infra dicemus. Vnicus color argumento ſit: qui in Monocerote vero niger eſt, conſenſu omniū & ſcriptorū & Oculatorū; at in noſtro*

 Septentrio-

tentrionali marino eburneus, quamvis non ignorem à Jovio eburneum tribui: Sed is omnia non nisi ex aliorum relatione scribit. Vide quæ habet de regno agens Gogiano.

IV. Boves & Vaccæ Unicornes.

IN India reperiri boves unicornes solidis ungulis, autor est Solinus lib. 1. de venat. & Plinius, qui tricornes etiam dari in India, annotavit l. 8. c. 21. *Uti & in Aonia montanâ Bœotiæ parte. Hinc Oppianus de tauris agens:*
Solipedes sunt Aonii varium genus unicornes,
Et ex mediâ cornu exitiosum attollunt fronte.
Cæsar quoq; l. 6. de bello Gallico meminit in sylva Hercinia bovis, cervi figurâ, cujus è mediâ fronte inter aures unum cornu existat celsius, à cuius summo sicut palmæ rami latè diffūdūtur. In Æthiopia vaccas esse, pilo ruffo, quibus unicum è frōte media prodit cornu pedali maius, curvitate supina, cuius cuspis retrorsum devexa, scripto mādavit Ludovicus Barthema & Cardanus de Subtilitate lib. 10. & Scaliger de subtil. exerc. 206. s. 7. Ex hoc forte genere fuit, cuius meminit Andreas Thevetus Cosmograph, t. i. l. 5. c. 5. Vidisse videli-

videlicet nobilem Turcam Sangeacum unicornem, quæ semestrem aut quinquemestrem taurum æquaret, unico verò cornu, quod non in media fronte, sed in summo capitis vertice gestaret: Cruribus & pedibus asininis esset, pilo tamẽ longiore & auribus Rangifero animali sub polo habitantibus noto haut absimilibus.

V. Asinus Indicus unicornis eiusq́; cornu.

De hoc animali Aristoteles & Plinius locis superius allegatis de Oryge: unicum nimirum cornu gestare in fronte, pedesq́; solidos & talos habere. Ælianus de eo sic loquitur lib. 4. Animal. c. 52. & 5. Hist. var. c. 22. Silvestres asinos equis magnitudine non inferiores, apud Indos nasci accepi, eosq́; reliquo corpore albos, capite verò purpureo, oculisq́; nigris esse, cornuq́; in fronte gerere, cuius superius puniceum, inferius autem album, medium v. nigrum sit. Atq́; non omnes quidem Indos, sed potentiores cùm tanquam armillis quibusdam brachia, sic cornua certis spacijs auro ornarunt, ex ipsis bibere solere. Ex hoc cornu bibentem

ab insanabilibus morbis tutum fieri, neq; eum convulsionibus corripi, neq; sacro morbo, neq; venenis ullis ferunt. Quin etiam si quid prius pestilens biberit, tum id vomere, tum ad sanitatem redire. Addit Boëtius à Bood ad hunc locum: Ex quibus duobus Æliani locis (videlicet iam citato, & illo qui infrà allegandus de vero Monocerote) facile colligi potest asini Jndici cornu id esse, qud ab omnibus expetitur ad venena, & nequaquam monocerotis cornu, quod uno tantùm, eoq; nigro colore præditum est, & versuras habet, ac passim à principibus pro vero monocerotis cornu ostenditur, omni facultate adversus venena carens. Causa, cur facultates, quas cornu Asini indici habet, attributæ fuerint monocerotis cornui, nomen monocerotis, quod ut ante dixi, asino indico tribui potest, fortaßis fuit. Vnicorne n. est animal asinus indicus, non minus quam propriè dictum monoceros. Et paulò post; repriuntur apud principes & Magnates variæ particulæ cornuum nomine cornuum monocerotis. Sed hactenus (etiamsi plures quam viginti differentias collegerim)

nunquam

nunquam particulam asini indici cornui similem deprehendi.

Ab hoc certè cornu non longè abivit, quod idem Boëtius se vidisse scribit paulò post his verbis : Habuit mater fratriæ meæ particulã à cornu satis magno, quod multis millibus venditum fuerat, abscissam, quâ mira præstitisse matrem affirmabat. Erat illa particula eboris instar albissima, intrinsecus concava, ut cornua esse solent. Exterior pars crassitie pellis porcinæ ferè perlucida, ac ad flavedinem tendens conspiciebatur, exactè lardum porcinum cum sua pelle in cornu transmutatum dixisses. Ab interiori n. & albissima parte ad amussim lineola distinguebatur id quod cutim porcinam referebat. Durissimum fuerat hoc cornu vixque limâ superari poterat, odorem etiam, qualem cornua omnia, dum limâ fricantur, edere solent, emittebat. Sed neq; hoc cornu Monocerotis aut Asini Jndici fuit. Nec refert, cum natura etiam aliorum animalium cornua viribus & facultatibus ditare

 possit

possit. Cornu profectò cervinum multorum experientiâ non exiguas adversus venena habet vires, ita ut rectè deficiente Asini Indici cornu, in illius locum substitui possit. Philostratus Lemnius senior de Asinis Indicis l. 3. c. 1. in eandem sententiam loquitur hoc modo : Asinos præterea silvestres in vicinis paludibus multos capi dicunt. *Esse autem feris huiusmodi in fronte cornu, quo taurorum more generosissimè pugnant. Conficere a. Indos ex illis cornibus pocula, asseruntq; nullis morbis illo die affici, qui ex eiusmodi poculo potarint, neq; si vulnerati fuerint dolere, & ex igne etiam incolumes egredi, neq; ullis venenis lædi, quæcunq; nocendi gratia in potu dantur, idcirco regum esse eadem pocula, & regi tantum eiusmodi feræ venationem permitti.*

Joan. Langius Miscell. lib. Epist. 29. Asinum Indicum cum Monocerote confundit. Regum pocula, *inquiens*, olim fuisse cornea, *etiam Philostrat. lib. 3. de vita Apollonij Tyanei testatur. Esse a. in vicinis Phasidis fluvij asinos, qui unum in fronte cor-*

nu haberent, quo cum Elephantis ferociter pugnant. Ex illorum cornibus Jndi pocula conficiunt, asseruntq́; , quicunq́; ex tali poculo biberit, eo die nullo morbo, nec vulneris dolore, aut ignis flamma offendi, nec veneno intoxicari posse. Hoc vero animal non Rhinocerota, cui unum ex naribus prominet cornu, sed Monocerota Plinius appellat. In eodem Confusionis errore versatur Thomas Jordanus de phænomenis pestis tract. 3. Sic & Angelus Batgæus in Cynægetico:

——————— unoq́; in fronte superbi,
Cornu quod reges Jndorum protinus aureis
Orbibus includunt, & vina liquētia potant,
Ac tum nec morbos tuti sentire feruntur,
Nec quæ inter mēsas occulta hæsere venena.

Alioquin asinos cornutos reperiri & in Africa & in Schytia, licet non unicornes, autores prodiderunt: Africanos Herod. lib. 4. & Schyticos Ælianus lib. 10. c. 40.

Jn Æthiopia & Lycaonia bos onagros reperiri scribunt. Jtim varia de eorum proprietatibus, ut 1. adeò odisse recens natam prolem propriam masculam, ut nisi per dies aliquot à matre abscondatur, genita-

lia eius dentibus abſcindant, congreſſus cum matre avertendi ergo. 2. Canes in ſequentes exerementis perfundere adeò ſuaveolentibus, ut canibus circa illa cum delectatione occupatis celerrimè aufugiant.

VI. Equus Indicus Unicornis.

AUtor eſt Ælianus lib. 3. c. 39. in India equos reperiri etiam unicornes, quorum cornua ad pocula uſurpent, præſenti bibentibus contra venena remedio.

CAP. III.

De Rhinocerote eiusq; cornu.

SEptimum animal unicorne facimus Rhinocerota, non quidem ex noſtra, ſed vulgata plerorumq; opinione: Revera n. duo cornua habet ut ex autorum luculentis deſcriptionibus patet. Unum in fronte (aliis ex dorſi vertebris, ubi collo iunguntur, ac ſi pars vertebræ eminens eſſet, ſicut illa in parte gibbum licet cernere in tauro Indiæ Orientalis huc ad nos advecto) breve ſed validiſſimum nigrum, brachii ad conum craſſitie, colore pellis aſinini & fibroſum, quod ad venena ab Indis in Inſula Bengala uſurpatur,

teſte

teste Garzia lib. 1. c. 14. alterum ex naribus exstans fortissimum & longè maius ac longius priori, non rectum sed reflexum & aduncum; Unde etiam Rhinoceros seu naricornis dicitur, à ῥὶν i. e. nasus & κέρας cornu Idem prodidit Pausanias, vidisse se in rebus Boeotijs, tauros Æthiopicos ab eventu nuncupatos Rhinocerotas, in summa nare singulos cornu habere, sed & super id alterum haut sanè magnum, in capite verò ne initium quidem ullum omnino comparere. Sic Martialis de Rhinocerote qui à Diocletiano in arenam productus contra taurum & ursum, canit:

Namq; gravem gemino cornu sic extulit ursū:
Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Scaliger ait exerc. 205. de Rhinocerote: Est cornu gemino, altero pusillo in fronte, altero in nare robustissimo, quo audacissimè pugnat ac vincit Elephantem: *Ut jam desinant nugari Grammatici de gemino cornu apud Martialem. Itaq; rectè geminum eius cornu ex Pausania, Eucherio, Pierio, & Lusitanorum experientia docuit Raderus in lib. 1. Martial. de Spectac. Epigr. 22. Quod autem pleriq;*

plerique rhinocerota unicornem faciant, inde videtur fieri, quod pusillum in fronte non computent, quasi cum maiori ex naribus non comparando.

Est autem hoc animal Elephanto simile iuxta Dionem, longitudine ei par iuxta Plinium lib. 8. c. 20. sed humilior, si altitudinem spectes, quia est cruribus multo brevioribus; fermè tam altum quàm longum, capite suillo, tergore scutulato, & quasi varijs clypeis munito, colore buxeo. Alter hic genitus hostis Elephanto, inquit Plinius lib. d. cornu ad saxa limato se pugnæ præparat, in dimicatione alvum maximè petens, quam molliorem esse intelligit, eaque perfossâ, actutum superat Elephantem (hinc German. Der Elephanten Meister *dicitur.) Ita Emanuel Rex Lusitaniæ Anno 1515. Vlijssippone dedit insigne spectaculum Elephantis cum Rhinocerote certantis, in quo Elephas succubuit.*

Philippus Camerarius ex Jovio in cap. 25. l. 1. succis. inquit de Rhinocerote: Hæc bellua paulò humilior est Elephanto, si altitudinem spectes, sed longitudine propè par, nostratis bubali formam referens

rens: Nam ungulas habet bisulcas, verum tergore buxei coloris, eoq; ab impenetrabili duritie duplicato, tanquam perpetuo thorace protegitur, armaturq; pedali osseo cornu, supra nares eminente, quo ferire sub utero, atq; transfodere Elephantem, peculiarem hostem suum solet, si tamen iniectæ ad collum & ocyssimè strangulantis proboscidis vim effugiat. Nam in congressu perpetuæ simultati, aut partâ victoriâ aut certe decora morte satisfacit. *Hæc mera ἀντιπάθεια istarum belluarum apparuit, cum Emanuel Rex Portugalliæ, Rhinocerotem Romam mittere constituisset, qui tamen in naufragio, cum esset compeditus, & ad miraculum usq; natando evadere conatus fuisset, in Ligusticis scopulis periit. Ferunt hunc Rhinocerotem (pergit ibidem Jovius) cum ab Oceano Vlyxponensi in portu exponeretur, aspectu atq; odore suo Elephantum, qui tum erat in Regia, usq; adeo truculentur terruisse, ut elephas ipso naturæ miraculo præcipuus hostis, concepto incredibili pavore septum cornu, ferreis ingentibus clatbris permunitum*

tum humerorum & capitis præcipiti impulsu perruperit, & in longum se proripiens fugam, terribiliq; barritu edito, stridens & furens cuncta obvia prostraverit.

Rhinocerota à Cardano ignoratum scribit Scaliger id vel cum Monocerote confusum; At Cardano iniuriam fieri patet, ex ipsius verbis de subtil. l. 10. *pag.* 404. *mihi, ubi sic loquitur :* Gerit hoc animal (*Elephas*) inimicitias maximas cum Rhinocerote: *Hic est indicus taurus. Corpus habet Elephanti fermè magnitudine, cruribus brevioribus, colore buxeo: totus testis quibusdam in modum clypei armatus est à natura. In naris extremo, iuxta nominis etiam sui significatum cornu gerit palmi longitudine paulò maius, durissimum, firmissimum, rectum atq; præacutum, sed quod versus frontem torqueatur, quodq; pugnaturus exacuit. Sunt & quidam ex his qui aliud exiguum etiam cornu habeant in tergore. Referunt anno salutis M. D.* XIII. *delatum unum ad Lusitaniæ Regem calendis Maij, quem Rex biennio post spectaculi causa Vlyssipona*

cum

cum elephanto commisit, vicitque Rhinoceros. Adeo nihil natura voluit omninò ab incommodis esse tutum: nam elephantem hic solus exagitat, dicunt quidam & serpentem: sed societas elephantem tutum ab utroq; reddit, nec periculo subiacet, nisi cum causa aliquâ à grege suo disiungitur. Rhinocerotem Pausanias vidit, agnovit & Plinius, non tamen Aristoteles. Constat hunc longe alium esse à Monocerote, cum quo solum nominis similitudine colludit.

Marcus Paulus Venetus, qui vixit circa annum Christi 1300, quiq; magno Cham, Tartariæ Regi diu servivit, & remotissima loca orbis terrarum peragravit, ita describit Monocerotem, ut Rhinoceros fermè is esse videatur. Scribit, inquam, in regno Basman Javæ minoris monocerotem sive unicornu inveniri, bestiam ingentem, paulo minorem Elephanto, pilo Bubali, capite porcino, & tam gravi, ut illud perpetuo ad terram inclinet, unico cornu in media fronte, eoq; nigro & grosso: linguâ spinosâ qua homines & animalia lædit. Nisi forte peculiaris aliqua animalis unicornis species fuerit,

cum

cùm scribat magnâ multitudine ibi reperiri. Quidam v. ut ex supra dictis liquet, Rhinocerotes vocant tauros Ægyptiacos, alij tauros Indicos etc. Rhinocerota & Hippopotamum primum visos Romæ, scribit Dion Augusto de Cleopatra triumphante: Etiamsi Pompei ludis factum id Plinius tradat. In arenam produxit Rhinocerotem contra taurum & ursum Diocletianus (alijs Domitianus) Imperator in dedicatione Amphitheatri, & nummum cudi jussit, cum effigie Rhinocerotis; ut significaret, se instar rhinocerôtis primò magnanimum esse, ac præditum fortitudine regali; Secundò se tardum esse ad iram, sed ea concitata implacabilem. Id explicuit duplici Epigrammate Martialis qui Diocletiano fuit in delicijs. Priori explicat robur incõparabile rhinocerotis, in duello taurum instar pilæ jactantis, aitq;:

Præstitit exhibitus totâ tibi Cæsar arena,
Quæ non promisit prælia Rhinoceros.
O quàm terribiles exarsit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Altero

Altero docet eum tardè irasci , sed ubi irascitur, esse furiosissimum , ac ferire hostem non uno , sed duobus cornibus , Ait enim :

Sollicitant pavidi dũ rhinocerota magistri,
Seq; diu magnæ colligit ira feræ;
Desperabantur promissi prælia Martis:
Sed tamen is rediÿt cognitus ante furor.
Namq; gravẽ gemino cornu sic extulit ursũ
Jactat ut impositas taurus in astra pilas,

Cornu eius, cum in Jtalia degerem , venale reperi Romæ , Neapoli , Florentiæ , Pisis & Mantuæ. Fuit a. per omnia solidum , nec interiùs concavum ; est pro belluæ quantitate maius vel minus , à basi lata in acutum assurgens , foris nigricans , intus ex nigredine dilutiori obscurè flavescens. Vnum habet peculiare , quo ab aliÿs expeditè dignoscitur , quod linguâ madefactum graveolentem exustæ materiæ spiret odorem. Pulverem inde præparant Mantuæ apud pharmacopæum Principis, & Veronæ apud Pharmacopæum ad insigne scalæ sub ponte novo (qui â seniore Calceolario se accepisse ceu arcanum mihi narravit) additis præcipuis cordialibus &

pretiosis, eumq; commendant, sicut & alij nudum huius cornu pulverem ad quævis venena, etiam philtra, quamvis febrem, inprimis malignam pestilentem, petechialem, variolas & morbillos, Epilepsiam, spasmum, tremorem, vertiginem, dolores stomachi, vomitum navigantium, vermes puerorum, impotentiam veneream, dolores uterinos. Dosis à granis 10 *ad* 20. *in adultis in aquâ convenienti, in pueris dimidium, in infantibus* 5. *Ipsius cornu sine additamento dosis summa est in adulto, ubi magna in magno aliquo effectu efficacia desideratur, gr.* xv.

Placet huc adscribere verba Francisci Ferdinandij, qui ita scribit: Nicolaus de Comitibus Venetus in suo itinerario cuiusdam meminit portentosi animalis (fortè illud asinus Indicus, quale enim sortitum sit nomen, non declarat hic autor, licet Maiolus Rhinocerotem nominasse aliud agens dicat, cum quo tamen aliquam videtur habere similitudinem) Hic igitur scriptor Mangi Orientalis Indiæ describens provinciã, Est ibi etiam, *ait*, quoddam animal caput habens porcino simile, caudam bovinæ, quamvis brachio longius, color illi et proceritas

ceritas velut Elephanti, cum quo illi perpetuum bellum, cornu illud omni dicitur venenatæ rei remedio esse, qua de causâ magno est in pretio. Vulgò certè creditur ab omnibus cornu huic unicornis dicti, talem inesse naturalem vim, ut venena à cibo expellat vel potu, & ideo in magnâ ubiq; gentium æstimatione est. Vidimus nos Romæ duo Clementis VIII. P. O. M. B. alterum, alterum verò ipsius nepotis Jllustrissimi Principis Petri Cardinalis Aldrobandini, quæ quidem inter pretiosam utriusq; supellectilem non minimo habebantur in pretio: Utrumq; bicubitali longitudine, brachiali crassitudine. Videramus iam prius aliud Toleti in Pharmacopolæ illius tabernâ, cui regio munere concessum, ut theriacam solus conficiat; quod tamen multò erat brevius, vix enim palmum cum semisse implebat, & nigrius alijs, acutæ quidem cuspidis, sed adeò crassum, quâ parte erat rescissum, ut vix tribus posset palmis orbis eius circumscribi. Hoc verò cornu ingenuè
 fassus

fassus est mihi ; pharmacopola unicornis non esse, talem ei inesse naturalem virtutem experimento se comperisse affirmavit, ut præsentem contra venena omnia vim haberet. *Hæc ille.*

CAP. IV.

De Monocerote vero, eiusq́ cornu.



Ctavum tandem genus animalium unicornium, fecimus Monocerotem, strictè ita dictum, quem Ælianus audivit vocari Cartazonum, Italis lionfante, alicorno vel lioncorno, quasi Leonis cornu, ob robur, Arabibus Alcherebedam, teste Andrea Bellunensi, Danis Enhorn: *qui diu fuit pomum Eridos atq; à non paucis putatus in rerum natura nunquam repertus, aut etiamnum reperiri. At revera dari in rerum naturâ, præterquam quod invicta sacræ scripturæ hoc nomine supra adduximus testimonia; autores qui partim descripserunt, partim ipsa anima-*

lia

lia viva viderunt , partim cornua eorum seorsim contrectarunt, in apricum iam sumus producturi , præsertim cum illorum descriptiones facilè cum sacris literis consentiant.

Inter autores Plinius , (& ante eum Ctesias) hoc animal dari scribit & describit l. 8. nat. hist. c. 21. Ælianus inter Græcos scriptores non infimus lib. 16. de animal. c. 20. & l. 17. c. 44. Julius Solinus Polyhistor c. 55. Isidorus lib. 12. Etymol. c. 2. Marcus Paulus Venetus l. 3. c. 15 Ludovicus Vartomannus patritius Romanus in itinere suo Æthiopico lib. Navig. 1. c. 19. qui duos sibi visos refert in Mecha felicis Arabiæ urbe cratibus inclusos: Cui Vartomanno, *inquit Scaliger* , viro optimo habenda fides est, *Munsterus idem scribit in Cosmograph. l. 5. cap. de Mecha , atq; Cardanus de subtil. l. 10. pag. 405. Et subscribunt Scalig. exerc. 205. Boëtius de Bood lib. 2. de lap. & gem. cap 244. Andreas Baccius tract. de halicorno Ital. conscripto , Franzius in hist. animal. sacra cap. 11. Sennertus institut. phys. lib. 7. c. 5. aliiq; probatissimi viri. Idaith Aga orator Solimanni apud Maximi-*

lianum Imperatorem, Marcus Scherer ante abiuratam religionem Christianam dictus, Viennæ frequenti primariorum virorum coronâ se in Arabiâ deserta dixit vidisse gregatim obversantes ut armenta, monocerotes, referente Jordano. Philes talem dedit nobis descriptionem: (quæ talis est ex traductione doctiss. Joachimi Camerarij, archiatri Norrinbergensis reip.)

Est unicornis Indiæ fera cognita
Horrenda visu, calcium quibus ferit
Armis timenda: sed ore si quem proruens
Momorderit, vix Pæonis solers manus
Præsens levarit vulneris periculum;
Hæc insolenter verticis motans jubam,
Longumq́; noxiumq; cornu porrigit:
Quod frontis enatum sub ipso tubere
Non est cavum, nec more cornuum leve,
Nec compari vndiquaq́; constat germine,
Limaq́; ferri visitur mordacius
Gyris in orbem convolutum iugibus.

Hæc Philes, qui pleraq́; sua ex Æliano transcripsit, unde eius simia dictus. Sic & Cadamostus testatur se duos vivos vidisse: Unum apud magnum Ducem in Mecha, alterum in palatio magni Chami Tartari. Quæ verò de

hoc

hoc animali scribi digna videntur, vel conformationem corporis, & eius partium; vel proprietates concernunt.

Quo ad Conformationem. I. *Magnitudo est equi Vartomanno, & quidem conformatæ ætatis equi Æliano.* 2. *Caput cervinum q. est, Plinio, Solino, Vartomanno & Cardano.* 3. *Reliquo corpore equo potissimum similis, Plinio; cervo iuxta Cardanum,* 4. *Iuba equi, Æliano; eaq; rarior, brevior, Vartomanno; rarissima & in alteram tantum partem tendens, Cardano.* 5. *Color pili balius Vartomanno, fulvus Æliano, mustelæ simillimus Cardano.* 6. *Crura macilenta ac tenuia, & pedes cervi ac coxæ villosæ, Vartomanno. Pedum & totius corporis bonitate excellit, atq; similiter, ut Elephas pedum digitis indivisis est Æliano; Unde Plinius ait, pedes esse ut Elephanti; ideoq; nulla hic inter illos autores est contradictio. In unico unicus contrarius est Vertomannus, qui de duobus Mechensibus scribit, habuisse ungulas bifidas, & pedes caprinos, posteriores extrorsum villosos, tibias anteriores tenues, & hinnuli modo graciles, itaq; hæc omnia imitatus est Cardanus his verbis:* Crura velut capreolo

tenuia, posteriorum exterior pars multo pilo villosa, ungulæ bifidæ. *Et sequitur Munsterus: Nec novum est individua eiusdem speciei invicem differre, ratione loci, pabuli, aëris, ætatis, educationis, ut mutatio sit in pilis, colore, cornibus &c. ut rectè advertit Baccius: & hoc in plurimis animalibus exempli loco edocuit Cattellanus in discursu de Unicornu cap. ult.* 7. Cauda *apro similis Plinio & Æliano, Solino suilla. Addunt nonnulli barbam hircinam* 8. Cornu *unum habet media in fronte, illudq́ nigrum (non quidem intensè, sed instar cervini, fuscum) Æliano, Plinio, Boëtio qui verum aliquoties vidit, & Cardano qui se vidisse refert: & consentit Lælius à fonte in Consult. Med. 224. mihi pag. 665. atq́ Franzius lib. d. qui addit esse foris nigrum propter corticem quo tegitur, intus verò candidum & splendidum, non læve sed in spiras vel versuras quasdā naturales contortū Æliano Boëtio, Cardano, Lælio: In mucronem desinens Æliano, ac insuper rectū Boëtio, longitudine modò cubitorum duum, ut Plinio, modo trium, ut Vartomanno & Cardano: pedum quatuor Solino: neq́ mirum*

variare

variare longitudinem , tum ratione ætatis, tum regionis, &c. Sic in Anglia bobus eminentiora ſunt cornua quam alibi; variari & colorem : nam uſu & temporis diuturnitate, nativus ille externus ſplendor perdi poteſt, ut in caſtaneum abeat, unde nonnulli cum Solino purpureum eſſe dicunt Quod vidit Boëtius Venetijs, fuit 6. pedes longum , intus ad pedum duorum longitudinem à baſi concavum , ad baſin autem ovi gallinacei maioris craßitie paullatim in acutum mucronem deſinebat. Fatetur Baccius illud eſſe verißimum quod eſt Pariſijs in templo S. Dionÿſij. Hoc quia à Cardano eſt deſcriptum , lib. 17. de Variet. Rerum cap. 97. verba eius ſubÿciam. Verum, *ſcribit* , Monocerotis cornu , quod longè pretioſius eſt vixq; ſeneſcit, dum Lutetiâ iter in Scotiã agerem , vidi: aderat enim fortè fortuna Joannes Manienus medicus , vir egregius & mathematicarum ſtudioſus , qui nos quotidiè inviſebat, eſt autem officioſus admodum vir. Js igitur cum eſſet medicus monachorum beati Dionijſij , nos deduxit ad templum illud toto orbe cele-

bratum, quod à Lutetiâ abest tribus millibus passuum, est autem augustissimum: ubi cum sepulchra regum, statuas, cæteraq; ornamenta marmorea vidissemus, monocerotis cornu, quod in templo pendebat, demissum diligentius consideravi. Erat a. longius quam ut extensâ manu, stansq; apicem attingere possem: Crassitudo exigua pro longitudinis ratione, nam duobus primis digitis utrinq; facile complecti poterat: adeò verò sensim in acutũ tendit, ut vix minui videatur, cum in apice pollicis crassitiẽ retineat. Teres ubiq; & quasi fascijs ab imo ad summum in cochleæ formam ascendentibus distinguebatur. Erant a. fasciæ quinq;, quas lineæ mediæ & ipsæ in spiræ modum ascendentes dispescebant, nulla cavitate, neq; natura quod sciam, huic simile quicquam efficere solet, sed ars, quasi in torcularibus. Sed torcularia duas habent tantum fascias è quibus una causa est, cornu hoc quinq;: nec cavitatibus ullis, nisi admodum exiguis, interpositis; ab imo inane est ut boum cor-
nua

nua; Sed inanitas non maior eſt ſolidiore parte, neq; enim tenuia ſunt labra, rectiſſimum ad amuſſim. Color qualis cervino, ſed absq; ramis, & longe gravius: pendebat enim libras ſeptendecim cum tertia. *Putat idem Baccius, penes quem fides ſit, verum etiam haberi Argentinæ & apud Regem Poloniæ: verum etiam Metis aſſervari ferunt. Petrus Bellonius Cenomannus in ſingularibus ſuis obſervationibus, l. 1. c. 19. ita deſcribit*: Quod apud D. Dionijſij phanum eſt, quod omnium maximum exiſtimamus, inter ea quæ hactenus conſpecta fuerunt, maius præconium mereatur, quam aliud quodvis cornu, quod in animali procreatum viderimus. Naturale etenim eſt, haud artificiale, in quo omnes notæ, quæ alterius animalis cornu conveniunt, reperiuntur, & quoniam concavum eſt, exiſtimandum eſt, non eſſe deciduum ut nec caſellarum Chamoix, bove eſt ain cornua, contra quam damis, cervis & hinnulis, quibus decidunt. Nullus eſt proceræ quantumvis ſtaturæ, quæ vix ad illius ſummi-

ſummitatem pertingere queat: ſeptem n. magnos pedes longum eſt. Decem & tres duntaxat libras & uncias quatuor pendet: ſi quis tamen ſublevet, plusquam decem & octo libras pendere exiſtimet. Eius figura recta eſt inſtar cerei inferiore parte craſſa, deinde paulatim usq; ad mucronem gracileſcens: eius etiam craſſitiem manus complecti nequit, cùm quinq; digitos in diametro habeat: atq; ſi quis funiculo craſſitiem metiatur, palmum & tres digitos inveniet. Jnæquale nonnihil eſt eà parte, quæ capiti inhæſit tota deinde reliqua parte levi & politâ: levibus canaliculis ſtriata eſt cochleæ in morem ab infima parte ad extremum mucronem, à dexterâ ad ſiniſtram, omnibus ſtrijs in gyrũ vergentibus, quemadmodum in limacum teſtis, aut fuſte, quem periclymenum ambierit. Eius color non omninò albus eſt; nam temporis iniuria fuſcum nonnihil redditum eſt. Jntegro pede cavum eſt, aut eo amplius infima parte, qua oſſi, quod capiti firmiter adhæſit, inſertum fuit. Hinc iudica-

re

e licet, minime deciduum esse. Cùm porrò tantum onus animalis capiti incumbat, animal quod illud gestat, ingentis corporis, bove non minus esse conijciendum est: *Duo verò quæ vidit Boëtius, unum Venetijs, alterum Pragæ, quia egregiè conveniunt cum Parisiensi; & cum veris notis veri unicornu; eius etiam verba non gravatim exscribemus. De eo ergò quod Venetijs videbat apud quendam rerum exoticarum studiosissimum ita loquitur:* Sex pedes longum fuit ad basin ovi columbini maioris aut ovi gallinacei minoris crassitie, paulatim in acutum mucronem desinens, intus ad pedum duorum longitudinem, à basi concavum. Color externus ferè niger fuit, ut ligni guaiaci nucleus interior etiam niger esse solet. Tanto lævore præditum erat, ac à basi versuras paulatim ad mucronem tam eleganter æqualiq; distantia, procedentes habebat, ut arte elaboratum fuisse videretur. *Et paulò post*: Jd profectò cornu vero Monocerotis animalis cornui omnibus notis

notis respondebat, atq; pro eius cornu habui, licet ille aliter senserit. Nam huiusmodi viris parum exercitatis, à mercatoribus, quibus credunt, facile imponitur: fortassis quia ad venena expellenda & arcenda vires non habuit, pro Monocerotis cornu habere noluit, cum tamẽ ut dixi, Monocerotis cornu viribus illis careat. Simile planè cornu vidi apud Philibertum de Bois mercatorem Pragensem, qui id à legato Ducis Muscoviæ Pragæ degente pignoris loco ad se pro mille ducatis receperat. Sed cum nullæ eius ad venena vires deprehensæ fuissent; indicatum fuit à Gemmarijs Monocerotis cornu non esse, licet omnibus notis attestantibus fuerit.

Philippo II. Hispaniarum regi pro singulari dono inter munera honoraria multa alia à Turcarum Imperatore missa fuisse duodecim cornua Monocerotum, singula pedes quatuor, et totidem digitos longa, vide historiam Belgicam Imman. Meterani lib. 13. pag. 238. linguâ Belgicâ Delfis in fol. Anno 1599, de quibus valde

dubito,

dubito, quod vera fuerint, cùm tanto numero haberi potuerint, Neque assequi satis possum, num Electoris Palatini verum fuerit: ipse lector ex descrtptione iudicium faciat, & examine Medicorum Heidelbergensium, quod Miscel. Med. Smetij lib. 8. insertum est, Epist. 1. pag. 388. Ita v. habet: Descriptio cornu admirandi, quod Principes Palatini ad Rhenum Electores inter κειμήλια pretiosiora Heidelbergæ reservant, & pro Monocerotis cornu habent, á Medicis v. & Pharmacopolis eius loci, iussu illustriss. Principis, *Johannis Casimiri*, Tutoris & Administratoris Electoralis 15. Novemb. 1586. accuratè examinatum est. Vnicornu illud Electoris Palatini ad Rhenum, quod 15. Novemb. 1586. à Medicis & Pharmacopæis civitatis & Academiæ Heidelbergensis, Principis mandato diligentissimè contemplatum est, substantia constabat verè cornea, eaq; dura, qualis in cervorum quoq; cornibus spectatur,

pondus

Pondus eius marcas viginti ſex , ac inſuper uncias binas cum ſemiſſe, (marca ad uncias octonas æſtimata) & ſic in univerſum uncias ducentas , & decem cum ſemiſſe pendebat, hoc eſt, libras Romanas ſeptendecim , unciasq; ſenas cum ſemiſſe. Longitudo exactè ulnas quatuor Heidelbergenſes, vel pedes fabriles octonos continebat, tametſi apice extremo graciliori ad priſtinam proceritatem aliquid , circiter ſesqui digitum fabrilem , vel paulo quid amplius requirebatur , quod Albertus Marchio Brandeburgicus (qui ante poſſederat) illi per tranſverſum non tamen exquiſitè quondam defregiſſe dicebatur. Craſſioris partis extremitas ambitum habebat digitorum ſeptem cum ſemiſſe, qua a. craſſiſſimum erat, nempe xv. digitos ſurſum craſſitiem menſi ſumus , *ſeſquidigito* ampliorem, quam in imo (quod inſolens valde eſt) adeò ut ambitus eius novem digitos impleret. Jn ora illa craſſiore excavatum erat ad digitos tres rectà ſurſum, nullà rotunditatis ſervata proportione

tione. Circa imum enim lima ſubinde abradendo non exiguum deceſſerat, quo factum ut limbus in ambitu ſubtenuis ſpectaretur, adeoq; in fundo cavitatis intimo, albicans quiddam medullaceum reperiebatur, ſubſtantiæ raræ & ſiccæ. Ab imo uſq; ad ſummum, ſtriæ quædam turbinatæ, aut verſuræ tortorum funium modo, ſenſim aſcendentes videbantur. A mucrone aut tenuiori extremo ad ſeptendecim digitos deorſum apparebat rimula, tanquam fractura quædam in transverſum tendens. Nulla ibi erat obliquitas aut incurvatio, qualis in alijs cornibus, ſed rectitudo mera, ſicut in haſtilibus venabulorum (quæ Schweinſpies vulgus vocat) quorum formam utcunq; referebat. Quin etiam qua ad extremitatem craſſiorem magis vergebat, rudius, inæqualius, aſperiusq; erat, qualiter & cervina plerumq; exiſtunt. Color erat ex fuſco cineritius, in flavitiem dilutam vergens, præcipuè quod in verſuris aut ſtrijs, verſùs graciliorèm finem magis exſtabat.

Modus quo capiatur hoc animal variè à varijs describitur. 1. Per virginem, ut infra sequenti capite dicetur, aut iuvenem virgineo habito: Qui modus fabulæ similis. 2. Ex Epistola Regis Æthiopiæ ad Papam Romanum talis indicatur. Leo unicornem admodum metuens, post arborem grandiorem se abscondens ab unicorne dum impetuosè petitur, cornu tam altè in arborem unicornis adigit, ut hac ratione captus â Leone perimatur, postea què reperiatur.

CAP. V.

De proprietatibus Monocerotis animalis.

Affectiones & proprietates præcipuæ sunt:

1. Locus generationis, *quibusdam est Jndia orientalis, alijs occidentalis in Jnsulis nonnullis: quibusdam ut Vartomanno & Cadomosto: Indubiè verò in omnibus istis locis reperiuntur, & fors etiam in Rußia,*

Mosco-

Moscovia & alibi, ubi loca sunt deserta & solitudines. His n. præcipuè delectari hoc animal, autores ferè consentiunt. Ælianus ait l. d. quod desertissimas regiones persequatur simul & solitarius erret. Cardanus inquit de subtil. l. 10. p. 450. Nascitur in Æthiopia inter solitudines, squalentéq; terram atq; inter serpentes. *Quia ergò in eremis incedit solitarium, atq; à locis multum frequentatis abstinet, estq; præterea, ut Cardanus l. d. addit animal rarum; hinc pro miraculo penè habetur, si quando aliquod eius cornú inveniatur. Quod fortè à fluminibus ex vastis istis desertis fluentibus animali mortuo devehitur. Unde nonnulli aiunt, cornu hoc arenis obrutum ad littora fluminum in Æthiopia & India reperiri. Ex hisce liquidum est, mirandum non esse à paucis oculis usurpari hoc animal; à multis ideoq; negari ac si in rerum natura non daretur. Vnde Paræus ait, supra loco alligato:* Profectò Romani domito orbe, omnium quæ rara adeoq; pulchra essent, inquisitores diligentissimi, si uspiam aliquo orbis in

angulo talis latuiſſet fera, eius ſibi copiam feciſſent, & nummis ſuis aut armis inſculpſiſſent, quemadmodū crocodilos, Hippopotamos, Elephantos, aquilas, Pantheras, Leones, tigres & alia his regionibus ignota animalia inſcripſerunt. *Pareo a. reſponderi poteſt. ſi Romani unicornē non inſculpſerunt nummis; fecit id Alexander M. in memoriam victorum Jndorum; tum enim ex varijs metallis conflata Medaiæ, ut vocant, inſculpi curavit unicornem manſuetè ad pateram caput inclinantem, & vinum inde bibentem, cum inſcriptione græca* νυκεωρ, *eo quod, ut exiſtimatur, Baccho Nyſſeno à Nyza capta conſecraverit. Quale monumentum metallicum habuiſſe & ſtudioſis antiquitatis oſtendiſſe dicitur Dux Ferrariæ. Romani a. quia in Jndiam non penetrarunt, ſed tantū uſq; ad Parthos, excuſandi idcirco ſunt quod non fecerint, quæ Paræus deſiderat: quanquā putent aliqui ſub Gordiano unicornem Romæ fuiſſe, ſcribente id Julio Capitolino.*

2. Summa ferocia, *ut cicurari non poſſit, ab homine tractari, aut præſepi alligari & hominibus ſervire: quod ſupra ex locis ſcripturæ citatis adſtructum eſt. Plinius conſentit*

tit libro dicto, qui vocat asperrimam feram, quæq; viva non capiatur: Ælianus distinctiùs ait, non meminisse quemquam ullum Monocerotem integræ ætatis captum fuisse. Solinus ait: Interimi quidem potest, capi non potest. Sic solent animalia esse ferocissima, quæ gaudent solitudinibus. Cæterum Autorum hic animadverto dissensum. Ælianus scribit, Monocerotem ad alias quidem bestias ad se accedentes mansuescere, cum gregalibus v. suis pugnare, neq; modo cum maribus naturali quadam contentione dissidere, sed contra etiam fœminas certare, pugnamq; usq; ad mortem victi ingravescere. Coitus v. tempore ad fœminam mansuetè adsuescere, & pariter pasci; cum hoc tempus transierit, & venerem fœminæ ferre cœperit, rursus efferari & solum vagari. S. Gregorius & Isidorus asserunt, cùm Monoceros sit animal tantæ fortitudinis, ut nulla venantium arte capiatur, inermem tamen capi, & quasi soporatum, si virgo puella ei proponatur, quæ venienti sinum aperiat, ubi ille omni ferocitate depositâ caput deponat; imò ampliùs hanc in rem Frantzius scribit, quod utcunq; sævum sit hoc animal, tamen sexum fœmineum veneretur, & ad fœ-

minas accedat, & iuxta eas in somnum resolvatur, atq; ita delapsum sæpè capiatur, ligetur, donec tandem cornu eius resecetur. Subdit (ex Job. Tzeze qui vixisse putatur Anno 1176) ‡ Juvenem igitur robustum vestibus virginis induunt, & aromatibus conspergunt, & constituunt in vicino aliquo loco, unde odor cum aêre perveniat in nares bestiæ. Jnterim ergò dum ipsi venatores occultantur, accedit bestia ad iuvenem, qui odoratis & amplis manicis oculos ipsius tegit, ut venatoribus liceat accurrere. *Hæc ille. Quæ quia in autoribus satis luculentis ut Æliano, Plinio &c. non reperio, malo cum Paulo Veneto l. d. Gesnero in monocerote, alijsq; viris doctis statuere, qui hanc de cicuratione per virginem narrationem pro fabula habent, ortâ ex eo, ut aßerit Gesnerus, quod monoceros cum sit asperrimus, tantùm mitescat, quando amore incalescens, dum tempus est generandi, positâ feritate, blandè ad eam accedit, cum eaq; pascitur et commiscetur. At mox, ubi eam concepiße, & uterum intumescere sentit, ad pristinam feritatem,* aver-

averſionem & ſolitudinem redit : ut ſupra ex Æliano audivimus. Hæc ſententia ſacris literis, quæ feræ huius incomparabilem feritatem & ferociam aſſerit, conſentit, atq; rationi rectæ; quæ ſi generatio & propagatio ſpeciei fieri debet, perpetuum odium & certamen contra fæmellas non admittit.

Vartomannus manſuetum ſcribit eſſe animal, cuius verba non pigebit adſcribere l. d. De Unicornibus ait templi Mechæ in Arabia, Mahometis ſepulchro nobilis, quos Monocerotas appellant, qui fermè alibi non viſuntur, ſic ſcribit; in altera delubri parte ſepta viſuntur, ſive clauſtra appellare mavis: in quibus unicornes gemini aſſervantur, locoq; miraculi, populo ſpectandos præbent. Nec abs re, res n. miratu eſt digniſſima. Sunt a. huiuſmodi, ut ilicò denarrabimus. Alterum eorum, quem conſtat longè proceriorem eſſe pullo equino 30. menſes nato, haud abſimilem crediderim. Prominet in fronte cornu longitudine trium cubitorum. Longè natu minor eſt alter,

utpote

utpote anniculus, ac equino pullo ſimilimus; eius cornu quaterni palmi longitudinem haud excedit. Coloris eſt id animal equi muſtellini, caput cervi inſtar: Collo non oblongo: rariſſimæq; iubæ, ab altera parte ſolum dependentis. Tibias habet tenues, easdemq́; graciles admodum, hinnuli modo, Vngulas anteriorum pedum bifidas habet, caprinos pedes fermè referentes. Tibiarum poſteriorum pars exterior villoſa eſt, piliq́; plurimi, ſanè id animal ferum videtur, verum ferocitatem neſcio quâ comitate condivit. Eos unicornes quiſpiam Sultano Mechæ dono dedit, ceu rem inventu rariſſimam, eandemq́; pretioſiorem. Advecti ſunt ex Æthiopia ab Æthiopum Rege, ut eo munere neceſſitudinem coniunctiſſimè cũ Sultano Mechæ præfecto iniret. *Hactenus Vartomannus. In pauculis ab aliјs eius deſcriptio diſsidet. De quo diſsidio ſic Baccius:* Differt á cæteris in ungularum deſcriptione, nam bifidas eſſe profitetur more caprarum, cum Plinius & Ælianus integras eſſe dicant, ſimilesq́; Elephantinis,

tinis. Sed in hoc tueri poteſt dicendo aſſimilationes dari pro exemplis, non autem quod totæ tales ſint, quin minor adhuc proportio exiſtit, ſi dixerimus pedes habere omnino Elephantinis ſimiles: ſi animal ipſum equum magnitudine non ſuperet. Et licet etiam pedes Elephantorum calloſi ſint & rotundi, videntur tamen ungulas habere nonnihil diviſas, eaq; in re à ſolipedis differt, eamq; differentiam annotare voluit Barthema cum æquiore proportione cũ caprinis eis aſſimilarit ungulis. Sed cur nos circa has differentias exercemus? Ecquæ datur alicuius rei ſive ea ex foſſilibus ſit, aut plantis, aut animalibus, deſcriptio, quæ nõ apud diverſos, qui eam deſcribunt, variat? Ecquis itim ille eſt, qui non aliquando decipitur, & in ijs maximè, quæ nunquam vidit? Nunquam autem antiquis viſum fuiſſe unicornem (qui de eo ſcripſerunt) ſed ex aliorum narratione ſcribere, pro indubitato mihi perſuadeo. Vnde natum eſt, quod quæ de hoc animali prædicantur, fabuloſa ferè habeantur,

& à nobis propter narrationis diversitatem difficillimè invicem concilientur, quare summo isthæc cum iudicio à Lectore examinanda erunt. Si enim dixerimus ea propter aliquid fabulosum esse, quia diversimodè de eo ab autoribus scribitur, omnes etiam historias, etsi verò alioqui veriores, falsas etiam esse concedendum foret, quandoquidem & in earum enarratione non semel variant historici: sufficit n. ut quæ dicuntur, conveniant in ijs, qua sunt maioris momenti, magisq́; essentialia. *Hæc Baccius.*

Jn Vartomanni relatione meritò desideramus, quod de feræ caudâ & voce, deq; ipsius cornu, colore ac versuris nil indicet. Sed quid de hac relatione Vartomanni sentiendum breviter explicabo. Jnitio quod Sacra scriptura aßeverat, tanquam omni exceptione maius credendum, nemo sanæ mentis inficiabitur. Sed anne Vartomanno, optimo viro oculato testi habenda fides, dices, suadente Scaligero? Vtiq; & hoc largiemur. Sed commodâ interpretatione Vartomanni testimonium

monium leniemus. Si in Johan. Langij sententiam luberet concedere l. d. qui Sultano ex Æthiopia missos illos unicornes, per boves unicornes Indiæ interpretatur, res utrinq; salva esset. Quo minus a. huic subscribamus, varia obstant. Initiò non præsupponendum Vartomannum ita rudem, ut discrimen inter boves illos Indiæ & Monocerotis ignoraverit, deinde cornu boum Æthiopicorum superius ex Scaligero descriptum minimè convenit cum Vartomanniana cornu descriptione: econtrà tota descriptio Vartomanni paucissimis exceptis, verum monocerotem repræsentat; tandem regem Æthiopiæ Sultano eos unicornes dono misisse ceu rem inventu rarissimam & pretiosissimam, ad arctiorem ineundam necessitudinem, ex narratione liquidum est; quod de vulgaribus boum unicornium cornibus affirmare ridiculum esset. Posset quis alio modo conciliationem moliri, nempe, existimando in Æthiopia Monocerotem esse mansuetum, alibi verò ferocissimum; sed cum fundamine probabili careat conjectura, eò adducor, ut putem pullos adductos ex Æthiopia, non integræ

ætatis

ætatis animalia ; hæc enim non capi viva, testis est Ælianus. Rationem meæ coniecturæ capio exinde, tum quod ex Vartomanni relatione conspicuum sit, juniores fuiße feras illas Mechenses, tum quod Ælianus lib. 16. de anim. c. 20. expreßè scribat : Præsiorum Regi illius pullos etiamnum teneros deportari, eosdemquè festis & panegÿrÿs diebus comitti ad robur ostendendum. Quamobrem Mechenses longo iam carcere domiti minimè feroces.

III. *Affectio*, Jnexpugnabilis fortitudo, *supra ex sacris literis aßerta ; & consentiunt autores prophani. Ælianus inquit : Corporis maximo robore præditus est, & cornu inprimis inexpugnabili armatur.*

IV. Vox *eius omnium maximè animalium absona & contemta Æliano, Mugitus gravis Plinio, mugitus horrendus Solino.*

V. Summa Sævitia, *suprà ex sacris literis.*

VI. Agilitas & cursus, *supra in didem.*

VII. *Quidam scribunt, quod suis instar in luto & cœno se volutare gaudeat.*

IIX. *Et quod instar Rhinocerotis cornu ad saxum acuat, ut eò celerius obvia quæq; penetret*

penetret. *Alias proprietates mittimus autoritate luculentâ destitutas : Ut inter alias, quod ferunt armenta vicina non bibere ex aquis per venenata animalia infectis , nisi priùs biberit unicornis, immisso cornu tanquàm alexipharmaco.*

CAP. VI.

Monocerotis cornu, non magis quàm vulgaria cornua, adeoq; penè nihil virium contra venena obtinere.

Rectissimè dicitur : Opinio quando in idiotas cadit, est indelebilis. *Videre hoc licet, non in vulgo tantùm , sed quibusdam Sapientibus, qui vulgi placita secuti huic cornu vim tribuerunt alexipharmacam & cordialem (quæ in calida aquâ pereat, in frigidâ diutius permaneat) de qua optimi Autores ne gry quidem, alij verò experientias contrarias citaverunt. Augendæ fabulæ circulatores nescio quæ signa commenti sunt, anilia deliramenta, de eius sudore , quem præsente veneno, aut admoto venenato animali statim inde morituro, emittat ; ebullitione , quam tamen in aqua præstant omnia immersa porosa : circulo ex pulvere unicornu facto , quem scorpius aut aranea in area eius posita transili-*

re

re non audeat; aliaq; fictitia & experimentis contraria. Mirum ergo practicorum quorundam hodie libros hoc cornu ad venena, febres malignas atq; pestilentes ullo modo velle commendare; quod revera est laterem lavare; & frustrà aliorum relatione commendant Ficinus, Brasavolus, Matthiolus, Mundella, Fernelius, Jubertus, Fumanellus, Andernacus, Hollerius, Vallesius. Et si meis quis verbis parum fidei habendum censeat, præstantißimos virorum in medium adducam.

Certè Ælianus diligentißimè Asinum Indicum describens atq; etiam Monocerotem; de illius cornu scribit, contra venena valere; de huius planè nihil tale; sed pisce magis mutus est. Immò ignorarunt omnes qui feram hanc descripserunt. Andreas Baccius inquit l. d. Mirandum, non constare, quinam prædicta cornua Romam, Venetias, & Lutetias comportaverint; quando, quomodo & quales operationes præter ordinarias præstent, præter quam, quod sem-

per

per in communi admiratione & æſtimatione maxima multorum millium ducatorum fuerint. Quin potius illorum conſpectus ſolus admirationem parit, conſiderando pulchritudinem ſplendoremq́; gemmarum adinſtar cum tantâ ſubſtantiæ puritate, ut in tot ſeculis nec maculata, nec ullo modo decolorata, (quod in ebore accidit) aut contaminata fuerint, niſi quod in nonnullis locis, probationis gratiâ, abraſa eſſe videntur.

Vnde mirum non eſt, Principes illos, eorumq́; Medicos deceptos fuiſſe, cum in nullo antiquo ſcriptore inveniatur, vel etiam legatur, quod unicornu per os exhibeatur, nec compoſitiones medicinarum ingrediatur, ſicut Medici aliqui præteriti temporis & hodierni quoq́; crediderunt, qui neſcientes quid eſſet unicornu, deſtillationibus & quinq́; eſſentijs pretioſis immiſcuerunt, nullam afferentes rationem aut experientiam, quam unqnam vidiſſent. *Franciſcus Ferdinandius ait*: Vnicornis propriè

dicti

dicti cornu haud puto talem inesse potestatem: non enim tot latuisset veritatis & arcanorum naturæ diligentissimos indagatores antiquos &c. *Laurent. Jubertus in lib. de peste, & Anton. Ludovicus Med. Vlyssiponensis in lib. de Empiricis & Miscell. negāt ab ullis antiquorū hanc contra venena vim huic cornu tributā. Mercurialis consult. Medic. tom. 1. Consil. 94. ad Baptistam Palestram Medicum Parmensem:* Vndè tria colliguntur, primùm Monocerotem & Asinos Jndicos diversos esse. Secundùm, cornu Asini Jndici & non Monocerotis illud esse, quod venenis adversari creditum est. Tertiùm, cornu, quod hodiè apud nonnullos Principes in magnâ existimatione contra venena conservatur; esse non Asini Jndici, sed Monocerotis, quippè cum unicolor sit, & versuris quibusdam delineatum; non autem tribus illis coloribus insignitum, quos refert Ælianus &c. Quamobrem in hanc sententiam eo; ad huc & Principes & Medicos quosdam graviter errare, qui forsàn eundem esse Asinum Jndicum & Unicor-

unicornem opinati, ita utriusq; cornu confuderunt, ut cornu quod ab Æliano, Plinio, & alijs ullâ virtute donatum esse proditum non est: pro illo quod venenis ac pesti resistere creditum fuit, ineptè admodum accipiant, perinde ac pictores qui utriusq; corpora confundentes neutrum verè exprimunt.

Neq; experientijs, quas narrant, multam fidem adhibere cogor, quoniam cum rarissima cornua illa, & apud primates duntaxat reperiantur, raræ quoq; fiunt experentiæ, & ob id nullam aut exiguam admodùm certitudinem habent, quamvis etiamsi medullitùs rei veritas indagaretur, appareret profectò pluriès experientias illas frustratas, qúam finem adeptas esse. Accedit & illud, verisimile mihi non videri, si hoc cornu tali esset virtute donatum; Galenum qui & experientiâ, & omnium rerum peritiâ nulli secundus fuit, eam tacuisse debere, cum præsertim de cornu cervini facultatibus quamplurimis locis mentionem fecerit, ubi occasio dabatur, etiam mi-

randas monocerotis cornu vires recenſere, etc. Neq; credibile videtur, ſi hiſce temporibus huiuſcemodi cornua apud multos habentur, temporibus Galeni haut comparari potuiſſe; tum quia ut ipſemet refert, quotannis ex univerſo orbe pulcherrima & pretioſiſſima omnia Romam portabantur; tum quia M. Antonius Jmperator potẽtiſſimus, cui Galenus maximâ cũ laude ſervivit, omnium Theriacæ amãtiſſimus fuit, pro quâ cõficiendâ à cunctis regionibus ſimplicia advehenda curabat, quem ſicut cæteros Jmperatores, & virtutem huiuſçe cornu potuiſſe ſcire, ſi vera eſſent, quæ dicuntur, & illa facilius quã noſtrates Principes acquirere nemo ignorat. Jtaq; doctiſſime Palæſtra, adduci nequeo, ut credam, cornu illud Monocerotis quod oſtendunt, ullam peculiarem venenorum expultricem facultatem habere, niſi ipſum virtute ſuâ exſiccatoriâ perinde atq; alia multa exſiccantia aliquid efficere poſſe dicamus, pro venenis exſtinguendis. Tu meam ſententiam hanc examinabis

minabis, neq; ulla Principum autoritate, quæ veritati ſemper eſt poſthabenda, neq; cæcis experientijs te perſuaderi permittes.

Ambroſius Paræus loco ſupra citato: Si experientiâ & rerum eventis agendum eſt, ſanctè hoc affirmaré poſſum, pluries me tentaſſe, nunquam tamen quicquam ex cornu iſto, quod pro Unicornis iactatur, adverſum venena feliciter ægris mihi commiſſis exhibuiſſe. Si theſibus & authoritatibus pugnandum; magna pars melioris notæ medicorum iam pridem hoc cornu valere iuſſit, & divinas illi admirandasq; vires, propter quas antea tantoperè expetebatur, detraxit. *Et paulo poſt*: Itaq; Capellanus primarius Caroli IX. Galliarum Regis medicus, crebrò dicere ſolebat, ſe perlubenter eum morem ſublaturum, de cornu Unicornis, fruſto in pateram regiam demergendo, niſi noſſet eam opinionem tam altè in hominum animis infixam eſſe, ut vereretur, ne unquam ratione ullâ

expugnari posset. Adde, inquiebat, quod si superstitiosum eiusmodi remedium non prodest: Certè nec admodum obest, nisi fortè eorum fortunis, qui id auro redimunt, vel etiam ex eventu, quod principes, dum decantatis huius cornu viribus plus æquo confidunt, negligũt sibi alijs convenientioribus adversum venena remedijs cavere: Sic sæpé incautos mors inopina rapit. Cum aliquando ex Ludovico Dureto, Regis Medico & professore, propter excellentem, quam iure de eius doctrina docti omnes conceptam animo habent opinionem, quæsivissem, quid de eiusmodi cornu sentiret. Respondit ille, nihil se illi virium attribuere. Jn cuius rei confirmationem, secundam rationem antè multis verbis expositam pluribus ille & disertius enarravit, nec vereri se in auditorio suo doctorum hominum undiq; ad ipsum audiendum concurrentium theatro, id altà voce & explanatâ oratione prædicare.

Ansbelmus Boëtius de Bood lib. 2. de lap. & gem.

& gem. c. 244. identidem ingeminat, cornu monocerotis viribus istis carere contra venena. Subscribit Andreas Marinus Med. in tract. Jtalico, Lat. ab Aldrovando verso.

Obiicies Gesnerum hist. animal. l. 5. de Monocerote p. 785. experientias recensere, virtutis huius cornu ad venenum, comitialem, lumbricos &c. Resp. 1. loquitur de cornu unicornis, ex novis insulis allato, amphibij videlicet, de quo suprà diximus, cuius cornu vim habere alexipharmacam ultrò damus. Verba Gesneri sunt lib. 5. hist. animal. de monocerote p. 785. Cornu unicornis præcipuè ex novis insulis allatum, tritum & in aquâ potum mirè facit contra venena: ut nuper experientia ostendit in homine, qui à sumto veneno, cum iam tumere inciperet, hoc remedio restitutus est. &c. *2. Vsus est Gesnerus aliquando cornu foßili, quod simili virtute pollere concedimus, & infrà aßeremus. 3. Dicit Gesnerus, se alia addere, ut succinum, scrobem eboris, folia auri & corallium craßiusculè contusa; quæ sanè per se sine unicornu multum præstant. 4. Jmmò addit, se non negligere interim reliquam*

medendi rationem 5. Quoad Monocerotis verum cornu, fatetur se coniicere saltem, quod easdem vires habeat, cum cornu Rhinocerotis in iconibus quadrupedum pag. 64. Interim, ut suprà dictum, exiguam ut alia omnia cornua vim habere posse unicornu alexipharmacam: Unde ex cornu bibere mos est antiquißimus, præsertim apud nostros Boreales, ut supra ex Plinio: quod & Athenæus de alijs l. 11. tradit, antiquos ex cornibus bovillis bibere solitos fuiße, & idcirco Dionÿsium (hunc apud Jndos cultum fuisse, ipse etiam Baccius profitetur in explicatione numismatis Nyseorum) κερατοφυῆ cornutum fingi, & taurum à pluribus nuncupari & ταυρομορφὸν i. e. taurina facie conspici in Cyzico. Eiusdem moris ex cornibus bibendi id quoq; est indicio, quod & vinum aquâ miscere κεράσαι dicatur, & vas ipsum in quo mistio huiusmodi fiebat κρατήρ appellatur, ἀπὸ τοῦ κέρας quasi κερατὴρ ἀπὸ τοῦ εἰς κέρας ἐγχεῖσθαι τὸ πόμα, i. e. quod potus in cornu infundatur. Hinc Ambrosius quoq; cornu inquit, in medio vini plenum. Addit Athenæus

ibidem

ibidem, nostris quoq; temporibus cornuum apparatus cernitur, quæ rhyta nonnulli appellant. Profert etiam exempla Centaurorum, Thracum, Paphlagonum, Perhæborum, Philippi Regis Macedonum, Regum Pœoniæ, qui ex cornibus, quorum labra nonnunquam vel auro vel argento operiebant, bibere consueverunt. Athenienses a. argentea cornua facientes ex ijs bibebant. Poëtæ praeterea multos antiquos inducunt ex cornibus bibentes. Ælianus autor est, Ptolomæo secundo cornu bibulum ex Indiâ allatum, quod tres amphoras caperet. Quidam a. autē cornua aurea usurpabant, alij osculum poculi aureum vel argenteum faciebant. Pœonios aiunt boves educare, qui cornua gestent tantæ magnitudinis, ut capere possint tres aut quatuor choas, & idcirco ex ijs facere pocula, quorum labra auro, argentove circumdabant, Athenæo teste. Samogithas urorum cornibus pro poculis uti, testis est Sigismundus Baro, in commēto rerum Moscovitarum. Hieronymus Mercurialis libri primi de gymnasticis cap. 11. antiquissimum triclinium marmoreum depingit, in quo accumbentiū unus ex istiusmodi corneo poculo bibit,

 indeq;

indeq; vetustißimum illum lapidem eße arguit : vidit eum Patavij in ædibus Rhamnusianis post curiam urbis præfecti, in vico Patriarchæ ad Div. Petri.

CAP. VII.

Quid potißimum pro Unicornu vendant circumforanei.

Os pro vero unicornu venalia obtrudere, iam fragmenta eboris, iam communium cornuum adustorum particulas, iam fragmenta oßium balenæ, iam margæ varia genera, inprimis cornu foßile, quod alijs lapis Ceratites, de quo infrà; ipse ego testis sæpius fui oculatus, idemq; mecum fatentur peritißimi viri. Crato ad Thomam Jordanum Consil. & Epist. lib. 4. pag. 426. inquit : Vulgare unicornu nihil aliud eſt, quam dens Elephanti ſeu ebur.

Thevetus ait : Eiuſmodi cornua unicornium nihil ſunt aliud, quam Elephantum oſſa, eò quod cernimus artificio

circinata

circinata & ornata; Sic enim in Orientalibus regionibus ardeliones isti & circumforanei homines Rohardi piscis (mari rubro & Æthiopico noti) dentes circunagunt, excavant , sequacesq; arte redditas , arbitrariâ voluntate producunt, & pro unicornis cornu exponunt , venduntq;. Certè id quod dicitur cornu unicornis, ustum similem ebori odorem spirat. Asserit v. Cardanus , Elephantis dentes seu ossa , arte mollia reddita, quo & quantum voluerimus sequi & extendi bubulorum cornuum instar. Quid enim est in omni rerum natura , quod auri sacra fames in huius aut illius effigiem simulata expressaq; imagine , non adulteret.

Baccius l. d. pag. 97. Deceptio quorundam manifestanda est, qui unicornu plerisq; admirationi esse intelligentes avaritiâ ducti pro vero unicornu fragmẽta quædam ex communibus cornibus adustis substituunt, & pro medicina mirabili venditant. Et vehementer miror eos, qui unicornu in Medicinis præscri-

bunt, hanc fraudem malè feriatorum hominum non ſeverius detexiſſe. Cum n. unicornu rariſſimè, nec niſi in principum Gazophilacijs ob pretium eius & raritatem inveniatur, idcircò qui benè fragmenta illa conſideraverit, nihil aliud eſſe, quam fragmenta eboris, aut aliorum oſſium combuſtorum, fortè alicuius magnæ balenæ, aut genus aliquod lapidis eo modo præparati manifeſtè cognoſcet. Vidi quodam tempore ingentis animalis maxillam in imis terræ viſceribus conditam exhumari, quæ cum per multa ſecula delituerit ibi, ut credibile eſt, univerſa calcinata erat, dentibus exceptis: &, quia ſapore arido & conſtringente erat, & aqua iniecta per longum tempus ebulliebat, idcircò pro unicornu ſubſtituebatur; Sunt qui ſcribant, circulatores petræ aliquod genus & omnes pharmacopolas lapidē pro unicornu vendere. Cui rei ego quoq; ex relatione Romanorum fide dignorum teſtimonium perhibere poſſum,

qui in multis Calabriæ locis, eiusmodi lapides effodi affirmant, quos circulatores quærunt, & credulo vulgo pro unicornu obtrudunt, emptores a. facilè decipiuntur, quoniam lapis ipse ossibus ustis undiquaque est simillimus, squammatim compactus, siccus, aquæ immissus bullas excitans, quod evidentissimum & infallibile sinceritatis unicornu signum esse vulgus ubiq; credit. *Hæc ille.*

At substantia & color veri cornu interius est eboris instar, solida, densa, ponderosa, odoris et saporis expers, cum vi siccante & astringente, ideò radi & limari potest.

Jo. Guilielm. Reiffesteinius ad Gesnerum scribit, cuius verba reperiuntur in Gesneri libello de figuris lapidum &c. fol. 155. b. mihi. Ossa quæ illic (*apud Cheruscos*) insolitæ magnitudinis effodiuntur, multi impostores pro monocerotis fragmentis simplicioribus vendunt:

Sed

ſed quia vicinis hæc fraus nota eſt, ad remotiora loca ſe conferunt nebulones. Geſnerus l. d. pag. 157. Ego in volumine de aquatilibus, corollario de Hippopotamo, dentis maximi apud nos inventi iconem poſui: Sed poſteà alium quadruplo ferè maiorem ex Poloniâ accepi à viro nobili quodam ædificij futuri fundamenta iaciente inventum, unà cum cornu maximo, quod plerique Monocerotis eſſe putarunt: ſed craſſities & figura eius curva obſtant. *Boëtius de Bood. l.* d. *cap.* 242. Habeo ego domi plures quàm viginti differentias (cornu foſſilis,) cum tamen omnes mihi pro cornu Monocerotis datæ fuerint. *Fallopius tract. de Metallis circa finem*: Hic locus eſſet loqui de ijs quæ à tota ſubſtantiâ faciunt contra venenum, & inter reliqua cornu illo Alicornij quod circumfertur & venditur pro cornu illius animalis, ſed falſò, quoniam non eſt cornu, ſed ſpecies quædam terræ ex Apulia delatæ, quæ tamen eſt bona contra venenum. *Sennertus in Jnſtitutionibus Phyſicis lib.* 5. *c.* 4. *p.* 384. Jnter lapides illos

illos primo loco meritò explicandus ille, qui vulgò pro Monocerotis cornu habetur. *Et Paulo post*: Verum à genuino Monocerotis cornu facile discerni potest. Nam verum unicornu durum & solidum est, ut vix radi, multò minus teri possit, nec linguæ admodū adhærescit. Hic vero lapis durūs non est, & quasi calcinatus facilè frangitur teriturq; & linguæ admotus adhærescit instar terræ sigillatæ aut margæ alicuius.

CAP. VIII.

De melioribus succedaneis inter cornua & Ossa alexipharmacis.

SI quis ex hac rerum naturalium classe, alexipharmaca desiderat, non desunt quæ longè & certiora sunt, & experimentis comprobatiora, ut sunt;

1. Ebur aut eius rasura. *Consentit Rondeletius lib. de pond. cap.* 19. Nec me latet, inquiens, plures facultates illorum (cornuum) prædicari ab ijs, qui lucrum quæstumq;

stumq; de illis faciunt , ut et rasuræ unicornis , quam auro pendunt , propterea quod venenis & vermibus ut plurimum adversetur. Quod non minus præstare cornu cervi , rasuramq; eboris existimo : quod causæ est , cur ad eundem morbum pauperibus Elephanti dentem : divitibus autem cornu unicornis (quod unum præ cęteris expetunt) pari successu præscribam. *Hæc Rondeletij sententia est , qui sine discrimine pro unicornis cornu solebat substituere non modo cornu cervi , aut dentem elephantis , sed etiam ossa equina, canina , & myrobalanorum.*

2. Cornu asini indici : *vide suprá*

3. Cornu Rhinocerotis ; *ut suprà.*

4. Cornu Amphibij Africani vel *etiam* Molluccani , *ut supra audivimus.*

5. Cornu pyrassouppi, *de quo ita Thevetus in Cosmograph. t.* 1. *l. c.* 5. *Jn mari rubro secundum Arabiam navigantibus , apparet insula Arabibus cademotba dicta , in cuius regione , quam Plata flumen alluit , visitur fera barbaris incolis Pyrassouppi dicta , multò magnitudine par, capite haud absimili, hirta*

tamen

tamen, urſinis velut pilis veſtita, ſed haud adeò obſcuris, verũ ad flavum inclinantibus, biſulis ut cervus pedibus, duo procera capite, ſed minimè arborea geſtat cornua unicornium cornibus illis famatiſſimis affinia. Indigenæ enim, beſtiæ aut piſcis venenati dente demorſi, aqua epota, in quâ ſex vel ſeptem dies eiusmodi cornua demerſa & infuſa fuerint, ſtatim levantur & convaleſcunt.

6. Cornu cervi *quod omnium certiſſimum & probatiſſimum, crudum, præparatum, uſtum &c. inprimis maximopere commendatum volo, quod in noſtris officinis venale eſt, Chymicè ſine igni, ut vocant, præparatum: quâ elaboratione omnia retinentur eius principia, ut nihil exſpiret aut evaneſcat. Rectè Crato ad Thomam Jordanum Conſil. & Epiſt. lib 4. pag. 426.* Credas mihi primas iſtas cuſpides in cornibus cervinis contra venena plus prodeſſe, quam vulgare unicornu, quod nihil aliud eſt, quã dens Elephanti ſeu ebur. *Sic & Baccius lib. de prolegomenis venenorum & antid. pag. 61.* Unicornis ſupplet vices cornu cervi optimè præparatum, albiſſimum. &c.

7. *Tandem cornu cervino non multò inferius*

eſt

est Cornu fossile dictum quod non vulgò tantum, sed sæpè etiam apud multos principes pro vero Monocerotis cornu emitur: Rectè equidem ratione virium, quibus longissimè superat unicornis cornu, at subdolè ratione pretii, quod nimium postulant: de quo cornu fossili, quia paucissimi egerunt, & nos sæpissimè cum successu in praxi medicâ eo ad morbos gravissimos usi sumus, in gratiam naturæ consultorum paucula in medium adferemus.

CAP. IX.

De Cornu fossili vulgò pro Monocerotis habito.

Dicitur ita Gesnero & eidem lapis Ceratites, eò quod cornu referat, & Gesnerum sequitur Boëtius de Bood, Clusio ebur fossile, Annot. ad lib. 1. Garziæ c. 14. lit. Ee. aliis dens elephanti petrificatus; Cæsalpino lib. 2. de metall. c. 48. lapis Arabicus, aliis Lithomarga alba. Reperiuntur passim in Germania & Jtalia ex terris effossa integra animalia petrificata, & animalium partes, dentes, ossa, cornua

cornua, tibiæ, maxillæ, aliæq; corporis partes; aliquando ligna fraxini, iuglandis, & alia similiter in lapidē versa, ita ut aliquandò species ligni nosci, imò interdum odor deprehendi possit. Nonnunquam materia mineralis magis vel minus petrosa, sub forma cornu alicuius, dentis &c. licet tale nihil antea esse potuerit. Singula exemplis & experientijs comprobabimus.

Jntegra animalia: *Albertus Magnus. de rebus metallicis lib. 1. tract. 2. c. 9.* Admirabile, *inquit*, omnibus videtur, quod aliquando lapides inveniuntur, qui intus & foris habent effigies animalium. Foris enim habent lineamenta, & quando franguntur, inveniuntur in eis figuræ intestinorum. *Cuius rei causam dicit Avicenna esse, quod animalia secundum se tota aliquando mutantur in lapides, et præcipuè in lapides salsos non duros ut plurimum.*

Dentes & ossa: *Theophrastus autor est, ossa è terra nasci invenirique; lapides osseos ait Plinius, addens:* Et in lapidem concrescere manifestó apparet: quod cum feræ decidêre in puteos tales (*ubi humor terræ*

petrificans) & medullæ ex offibus earum in eandem lapidis naturam poft unam hyemem figurantur. *Sic Gefnerus lib. de figuris lapidum fol.* 156. Dentes quoq; foffiles inveniuntur alicubi, five ex cadaveribus animalium quorundam, five fponte naturæ orti. Dentem in lapidem verfum Aldrovandus Bononiæ fervat. Offa lapidea foffilia veniunt quibusdam nomine lapidis Arabici.

Cornua, ligna &c. *in quæ fi humor mineralis talis petrificus incidat, tranfmutantur. Placet hic verba Boëtij adfcribere l. d.* Quod ligno contingit, id etiam cornubus cervinis, dentiq; Elephantis, alijsq; quadrupedum partibus, fi in huiusmodi loca decidant, contingere poteft. Hinc fit cornua ifta foffilia inter fe multum interdum differre, & pauca eandem faciem oftendere, imò aliqua dentes, tibias, maxillas, aliasvè corporis partes referre. Habeo ego domi plures quam viginti differentias, cum tamen omnes mihi pro cornu Monocerotis datæ fuerint: una manifeftè exteriori cortice fraxini lignum

lignum oſtendit. Alia differentia propè Brinam Moraviæ urbem inventa ita exactè figuram trunci iuglandis intrinſecus & extrinſecus refert, ut nemo niſi cœcus animadvertere non poſſit, truncum illius arboris fuiſſe, ac in terra tranſmutationem accepiſſe. Odor etiam exactè nucis arboris odorem reddit. Donatum mihi fuit etiam fruſtum illius trunci Monocerotis titulo. Eodem in loco trunci & caudicis maioris portio pro capite animalis diſtracta fuit. Silices adiacentes truncis ſuis cavitatibus eandem materiam, ſed longe molliorem, magisq́; friabilem, neq́; nucis odore præditam continebant, ita ut nemo de generatione horum cornuum dubitare debeat.

Nonnunquam materia mineralis *ſub forma cornu, dentis &c. exinde liquet, quod aliquando tantâ quantitate reperiantur, ut tale animal fuiſſe ſit incredibile. Hinc Geſnerus l. d. pag.* 157. Jn ſpecu ſubterraneo propè. Elbingerodam, (*de quo paulò ante ſcripſimus*)

reperiuntur oſſa & dentes tam hominum quam animalium aliorum, maximæ ac tantæ magnitudinis, ut vix credi poſſit, vixiſſe unquam tantæ magnitudinis homines aut animalia ulla. Ego in volumine de aquatilibus, corollario de Hippopotamo dentis maximi apud nos inventi iconem poſui: Sed poſteà alium quadruplo ferè maiorem ex Poloniâ accepi à viro nobili quodam ædificij futuri fundamenta iaciente inventum, unà cum cornu maximo, quod plerię; Monocerotis eſſe putarunt: ſed craſſities & figura eius curva obſtant.

Scribit Albertus Mag. ſe vidiſſe & ſuis manibus menſum eſſe unicornu (ita nominat cornu foßile cum vulgo) cuius baſis in diametro ſesquipalmum habuerit, longitudo fuerit decem pedum. Quod ſi ex proportione Geometricâ conſideremus magnitudinem capitis tam vaſtum cornu geſtantis, atq; inde de toto corpore coniecturam faciamus, fuerit animal neceſſe eſt tantæ magnitudinis, quanta eſt magna quædam navis oneraria. Sic autor eſt Cæſalpinus lib. 2. de metal. c. 48. effodi

effodi propè oppidum S. Joannis in valle Arni oſſa lapidea ingentis ſtaturæ, ut putent fuiſſe ex Elephantibus ab Annibale ductis in Italiā; atq; exſtare humeri caput aut coxendicis, magnitudine quam utraq; ulnâ amplecti vix poſſit. Neq; eſt quod quenquam moveat forma illa externa. Plurima n. mira in terra efformantur, cuius conformationis cauſa ignoratur. De ollis ſubterraneis nonnihil dictum eſt à nobis in Tract. de Pygmæis, quas iurares arte factas. Pyrrhus qui adversùs Romanos bellum geſſit, habuiſſe traditur Achatem, in qua IX. *Muſæ et Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoq; ſingulis ſua redderentur inſignia, Plinius. Scaliger exerc. 117. contra Cardanum negantem hæc ita caſu contigiſſe:* Cur *inquit*, aut Apollinem aut Muſas in Achate pictas credere voluiſti? Maculas in lapidibus multis conſpeximus: quibus vidi potentiores pro ſuo quenquè ſupercilio varia imponere nomina. Marmoris fruſtum ſectum ad lateritium parietem incruſtandum edidit effigiem barbati ſenis: quam

ad Paulum primum Eremitam uno consensu omnes referebant. Sanè pingunt eiusmodi stantem, palmaceâ amictum storea. Eum lapidem Leonhardus Crassus civis noster afferendum curavit ad Maximilianum, cum essemus Ratisbonæ. *Hæc ille.*

Jn Pario marmore mirabile proditur, gleba lapidis unius cuneis dividentium soluta, imaginem Sileni intus extitisse, *Plinius. Jn Sagari fluvio Phrygiæ gignitur lapis Autoglyphus dictus, ab eo quod nativa ei Matris Deûm imago insit : Plutarchus de fluvijs. Et rursus;* Jn Tanai fluvio Scythiæ nascitur lapis Crystallo similis, humanâ effigie, coronatus &c. Constantinopoli in Sapientiæ templo sunt duæ candidi marmoris dissecti crustæ : quarum utriusq; maculæ nonnihil cinerei coloris, ita sponte naturæ discurrunt, ut totam divi Johannis Baptistæ, vestiti tergore cameli imaginem repræsententent, præter alterum pedem, quem non satis exprimunt. *Agricola.*

Auriculæ similitudinem exprimunt interdum lapides gemmis similes, Conchas mari-

nas

*nas auris humanæ faciem repræsentantes, in ambitu perforatas non paucas collegi in oris maritimis Siciliæ, Apuliæ & Thusciæ In lapide fossili Islebiano, è quo æs conflatur, nigro, duro, laminæ instar, figuræ variæ apparent, plantarum, animalium, ut ranæ, salamandræ, serpentum, viperarum, anguillarum, cyprini, auratæ, gobij, lucij, percæ &c. imò principum virorumq; illustrium imagines. Vide Agricolam l. 1. de nat. fossi. & lib. 10. Gesner. lib. de figuris lapidum c. 14. p. 1*62. *Angulosi nonnulli lapides, ut Crystallus, basaltes, &c. reperiuntur, ac si ab artifice elaborati. Nam basaltes habet figuram polygonam, cristalli plurimi & adamantes Ungarici hexagonam, in pyramidem hexagonam desinentem, smaragdi occidentales & granati spurij quadrangulam; granatus bohemicus, geodes & margaritæ globosam, crapaudina concavam.*

Argentum nascitur modò arbusculæ specie, modo pilorum &c: ut videre licet in libris nostris metallicis. Stalagmites (quibusdam Osteocollæ species) nascitur instar pilorum plurimorum in una massâ, quasi favis inclusorum; uti copiosè in thermis Carolinis; ubi & nos invenimus. Astroites stellarum

plurima-

plurimarum exhibet figuras, Umbilicus marinus humanum umbilicum refert. Ceraunias foramen habet à natura circa medium.

De Materia cornuum fossilium, *eorumq́ generatione autores non conveniunt. Quidam, ut annotavit Gesnerus de figuris lapidum p. 153. putarunt eße Monocerotum in diluvio per orbem terrarum dispersorum cornua diu terrâ obtecta, carnibus & mollioribus partibus vetustate consumtis. Cæterū falsitas huius opinionis manifesta est. 1. Figura non respondet 2. & raro magnitudo. 3. lapides hi reperiuntur non tantum figurâ cornu, sed & aliarum partium, immò aliorum animalium, ut supra ostensum. 4. Vnde tanta Monocerotum copia in Germania & Jtalia quam alibi ubi non reperiuntur? Quidam attestante Cæsalpino l. d. putant, oßa illa lapidea eße ex Elephantibus ab Annibale ductis in Jtaliam. Vndè dentes elephātis petrificati quibusdam dicuntur. At unde ille Elephantorum numerus in Thuringia, & silua Hercinia, Misnia, Silesia, Moravia, Helvetia, ubi copiosè eruitur cornu foßile?*

Alij materiam statuunt bitumen aut succinum corruptum, alij lapidem aliquem

putre-

putrefactum corruptum; alij ut Gesnerus & Boëtius, margam vel margæ speciem; Agricola margam liquidam candidi coloris. Et *certè non potest non esse eius materia mineralis terræ sigillatæ alicui vel margæ similis, vel succus mineralis cum terrâ tali mistus: quæ materia dum lapidescente & subterranea aquâ fluente irrigatur vel solvitur, lactis instar fluit per terræ cavitates: in quibus si à terra vicina aquæ serosior pars absorbetur aut præterfluit; crassior pars cauitates implendo sistitur & lapidescens coalescit vel in cornuum formam, vel aliam; vel informem, ut margæ tantum, si aqua exiguam vim habuerit petrificandi. Quod si hic humor non in cavitatem aliquam, sed lignum aliquod, cornu alicuius animalis, dentes, ossa, tibias, maxillas &c. fortè incidat, & corpus porosum subeat, atq; exhalante aquæ tenuioris portione, crassior remaneat; tandem coagulata, lignũ vel partẽ animalis transmutat sibiq; assimilat. Varias eiusmodi alterationes & mutationes in rebus eiusmodi durissimis fieri posse patet ex vulgaribus modis, quibus cornua, ossa & dentes mollescere posse, atq; duritiẽ deponere do-*

cetur, ut 1. Si Ebur in aqua ex sulphure & cineribus cochlearum parata coquatur. 2. in cerevisia, teste Sylvio. 3. in aqua fervidâ 4. in aquâ mandragoræ coctâ. Diosc. 5. Si cornua in pane calido recens ex clibano extracto & per medium fisso foveantur: Quâ ratione fures sæpè boum se furto raptorum cornua emollita in diversas partes torquent flectuntquè; ne ab hero agnoscantur.

CAP. X.

De proprietatibus & viribus cornu fossilis.



Ffectiones. 1. Locus generationis *non tantum est Apulia, ut putavit Fallopius, sed complures tractus Italiæ & Germaniæ. Circa Romam inventi talis cornu portionem Romæ mihi donavit quidam ex Pontificis ambactis. Clusius l. d. inquit:* Laminulis quibusdam eboris fossilis quæ nativum æmulantur, sed crustâ quadam candidissima inductæ sunt, ante biennium à Rassio nostro omnium natu-

ræ

ræ miraculorum diligentiſſimo obſervatore, donatus ſum. Jn Jtalia erui hoc ebur intelligo, & magno in uſu iſthic eſſe adverſus virulentorum animalium morſus.

Jn Germaniæ partibus multis reperitur; in Helvetia, ubi fruſtum reperti ab amico quodam ſed illiterato accepi, qui eius uſum ignorabat: Jtim in Thuringiæ & ſilva Hercinia, Palatinatu, Saxonia, Miſnia, Sileſia, *Moravia.*

2. Magnitudo *variat. Aliqua maxima effodiuntur, ut ſupra dictum, ut à nullo quantumvis magno animali produci potuerint.*

3. Forma. *colore & levore cornua referunt, at non directa, ut ſunt unicornis, ſed curva.*

4. Subſtantia *lapidea eſt, ſed vel dura vel mollior. Plerumq́ exteriùs dura, intrinſecus mollis, lævis, friabilis, ut facilè frangatur & teratur, compacta, adſtringens, exſiccans, linguæ firmiter adhærens inſtar boli, margæ vel terræ ſigillatæ; odore gratiſſimo, ac ſi quis lac cum amigdalis miſcuiſſet. Eſt autē. bonitatis indiciū. Vis adſtrictoria atq́ odor gratus, præſertim ſi cÿdoniÿ mali & lactis ſaccariq́ halitum præ ſe ferat.*

5. Color, *intrinſecus eſt albus: Cæterum*

exterior

exterior interdum flavescit , cinereus, albus, subniger &c.

6. Affinitas *magna cum lapide ossifrago, (eiusq; speciebus) qui alias dicitur osteites, Ammosteus, osteocolla, ostheolitus, bolosteus ac stelethites, Germanis* Beinbruch / Walstein / Sandstein etc. *Chirurgis notissimo, ad ossa fracta consolidanda. Differunt autem 1. odore, qui non nisi raro in osteocolla. Quando a. odoratus est ossifragus & margam in se continet, facile ad eadem usurpari potest, ad quæ cornu fossile; videtur enim tum materia esse eadem. 2. Substantiâ, quæ osteocollæ est arenosa vel terrea & friabilis; cornu fossili tenacior & ossi similior: nisi osteocolla sit odorata & margosa, uti dictum.*

7. Vires medicinales. *Vis alexipharmaca. Quamobrem commendatur à Gesnero, Cæsalpino, Boëtio atq; alijs ad venena cuiuscunq; generis, ad morsus animalium venenosorum, ad febres quascunq; , inprimis malignas ac pestilentes, idq; tum quia cor roborat ac firmat, boli armeni vel terræ lemniæ instar, atq; ne veneni noxam suscipiat, munit, tum ratione sudorum, quos potenter*

movet

movet, si æger se ad sudandum componat, quibus venenum omne facile foras ad cutim expellitur. Dosis tum est ℥j aut ℈iiij in aq. appropriata, aut absente vehementiori febri, in vino oligophoro.

Experientiâ multiplici didici usum eius insignem in corde roborando, ut stolidè unicornu verum postuletur, quod tamen vi alexipharmacâ destituitur, uti superiùs liquidum fecimus, quando hoc fossile haberi potest.

Boëtij duas subiungam, quas scripto reliquit l. d. puer quidam deglutitâ plumbeâ pilâ, quæ multos ante annos, sub aranearum telis latuerat, extemplò ventre ita intumuerat, ut crepaturæ periculum adstantibus videretur adesse. Hic ebibito scrupulo medullæ, omnibus admirantibus statim convaluit. Alia mulier intoxicata, ventreq; utri modo inflato, ut morti proxima videretur, subito hausto pulvere, præter omnium expectationem convaluit.

Cæterum probè animadvertendum, non omnia ista fossilia cornua, eiusdem aut paris esse facultatis, ob diversitatem formæ, originis

ginis & substantiæ. Nam quæ lapidum instar dura sunt, sine medulla, inodora &c. vix nisi exsiccante vi pollent. Præstantiora sunt, quæ facilè in pulverem rediguntur, mollia, linguæ adhærentia; inprimis si odor gratus medullis accedat, tum enim spiritibus nostris amicus est, & cum illis ὁσίᾳ quâdam conspirans, illos roborat, firmat, à contagio tuetur &c. Præstantißima, si substantiæ medulla ante transmutationem fuit à cervo, elephante, ligno fraxini, nucis &c. aut re quacunq; venenis adversante; præcipuè si odor prioris substantiæ adhuc supersit; indicio qualitatis in transmutato corpore, non tantum remansiße, sed etiam novâ & subterraneâ materia exauctas.

2. *Ad syncopen, cardiacam paßionem, cordis tremorem aliosq; cordis affectus prodest, si cum aq. appropriata scrupuli pondere ægro offeratur.*

3. *Ad Epilepsiam, inprimis puerorum, pari pondere in aqua convenienti.*

4. *Ad vermes necandos.*

5. *Ad fluxus varios sistendos, ut alvi profluvia, gonorrhœas, alba menstrua, sanguinem*

nem è naribus, thorace, hæmorrhoidibus, vulneribus manantem.

6. *Ad oculorum lacrimas cohibendas, si cum lacte in pollinem tenuissimum redactum oculis instilletur.*

7. *Vlcera ad cicatrices sine morsu perducit, ob vim exsiccantem & adstringentem, intertriginem & ambusta sanat.*

Jntro exhibetur vel in forma pulveris, vel pastillorum, terræ Lemniæ instar.



CASP. BARTHOLINI

De

LAPIDE NEPHRITICO

OPUSCULUM.



Cum præcipuis ad plerosq; morbos AMULETIS.





Reverendo & Clarißimo Viro,

Dn. M. THOMÆ CUNRADO WAGNERO, Ecclesiarum in Dioecesi Stavangriensi Episcopo, Domino amico & Fratri in Christo JHESU Coniunctißimo

D. D. D.

BARTHOLINUS.



CASP.

CASP. BARTHOLINI
De
LAPIDE NEPHRITICO, OPUSCULUM:
Quo
Præcipua insuper ad plerosq; morbos amuleta recensentur.

CAP. I.

De nominibus & præstantia huius lapidis.

LAPIS NEPHRITICUS ità à præcipuo eius usu dictus, Galeno. lib. 9. Simpl. c. 11. Jaspis viridis est, licet ad Jaspidem referri rectiùs dicatur, quàm ipse jaspis esse. Jtalis vocatur del fiancho, item Osiada à Sciaticâ, quam gestatus curare creditur. Gallis corrupto vocaculo Jtalico, Vne Siadre, Hispanis Jgiada, Belgis Calsvee, à gemma affini, ut coniectatur Clutius, quæ callais dicitur, de quâ Plinius

lib. 37. c. 8. Cæſalpinus lib. 2. de Metall. c. 27. Encelius lib. 3. de lapid. & gem. c. 48. Solent Germani hunc lapidem Lendenhelffer *a potiſſimo effectu appellare: Dani vocare poſſent* Lendeſteen. *Ad jaſpidis ſpecies refertur, ſicut & Heliotropius, & alij confines : quomodo a. à Jaſpide differat, & quibus notis dignoſcatur, infra ex eius qualitatibus & affinitatibus docebitur.*

Præſtantia eius, pretium & valor admodum paulatim excreſsit, ob virtutes quibus pollet præ aliis præſtantiſſimis gemmis. Vnde etiam Jndia non in ea copiâ ad nos mittit, quâ ante; eò quod Reges & Magnates Jndorum ſint lapidis huius avidiſsimi & tenaciſsimi poſſeſſores, teſte Monarde. Et ſcribit Plinius lib. 37. c. 9. Genus Jaſpidum, quod Smaragdo ſimile eſt, toto oriente pro amuletis paſsim geſtari. Vnde non mirum pauciores ad nos transferri. Jn ſummo etiam ob admirandas virtutes eſt pretio, apud Chinenſes, Perſas, Cyprios, Alexandrinos, Conſtantinopolitanos, ac præterea præcipuis Chriſtianitatis regnis & provincijs.

Boëtius ait c. 110, *Lapides Nephritici in magno*

magno pretio sunt , quia non facilè haberi possunt. Vidi non maiores semithalero , qui 100 coronatis æstimati fuêre. Pro illorum viribus augetur pretium. Habemus passim in Selandia hac Daniæ nostræ complures, quos Doct. Clutius Medicus Amsterodamensis rogantibus vendidit, at non tanto, ut Boëtius scribit, pretio. Interim tantâ aliquando invenitur mole, ut pocula inde conficiantur. Vidit frustum Boëtius, ut testatur cap. 110. apud Gemmarium Imperatoris Rudolphi 1600 thaleris coëmptum , ex quo poculum satis amplum fuerat formatum. Dicitur & Albertus Dux Austriæ vasa & pocula habuisse ex hoc lapide confecta, à fratre Rudolpho Imperatore donata, referente Clutio p.7.

CAP. II.


De Forma externa.



Ndicos gestant formis varijs effigiatos , alios piscium formâ, alios avium capitibus , alios psittacorum rostris similes , nonnullos rotundos , sphærularum

corallorum modo, atq; omnes perforatos, quia appensos eos gestare solent Indi. Advehuntur etiam ex Indijs figuræ rotundæ, ovalis, quadratæ, & aliarum figurarum, modo auro, modo argento inclusæ ac decoratæ: Aliquando figura cordiali, ad magnitudinem thaleri, modo plani ac politi, modò signaturis Arabicis incisi, nomen & virtutes lapidis designantibus: nonnunquam figurâ renis, ventriculi, nudi infantis &c. Aliquando brachialia inde conficiuntur, monilia, sphærulata &c. Sæpius incertâ figurâ, prout magnitudinis commoditas suaserit, lapides hosce efformant. Nonnunquam columnulæ est figurâ, ad longitudinẽ digiti hic lapis teres, in altera extremitate duabus ansulis munitus, ut adhærere faciliùs possit, qualem mutuo habui ab affine meo, consultissimo Viro, Dn. Nicolao Eggebrecht, Secretario Regio, vitrioli colore, & transparentiâ, ut videatur potiùs & fortè sit Pseudosmaragdi vel Prasij genus, quod indicavit Boëtius de planè simili à Legato Hispanico, Pragæ aliquando coempto, quamvis contra statuat c. 60. Non esse a. verum Nephriticum, inde mihi persuadeo, quod civis quidam

dam Haffnienſis, á multis annis calculoſus, talem omnino geſtet cottidiè, ſine ullo levamine aut ſucceſſu. Eſtq; illa quam nobiliores Braſilienſes, cùm in publicum prodeunt, labijs ab adoleſcentia perforatis inſerunt. De hoc ipſo ita Geſnerus de figuris lapid. mihi fol. 107. b. Lapis ſeu Gemma viridis, quâ Jndiæ occidentalis incolæ utuntur. Jnſerunt a. pertuſis labijs, ita ut pars craſſior in ore hæreat, reliqua prominens dependeat. Oripenduli nomen ei fingi poteſt, ut filipendulam herbam dicimus. Hoc lapide me donavit vir ſummæ doctrinæ Io. Ferrerius Pædemontanus, cuius in Epiſtolâ hac ad me verba ſunt: Mitto viridis coloris lapillũ teretem, ad longitudinem digiti in manu hominis medij, & in alterâ extremitate duabus anſulis munitum, quem nobiliores Braſilienſes, cum in publicum prodeunt, ad labia eorum ab adoleſcentia perforata applicant, unum vel plures pro ſingulorum dignitate, & comedentes, aut quoties volunt de loco ubi hærent, viciſſim detrahunt.



CAPUT III.

DE LOCO NATALI.

SOlet *Jaspidi aut Prasio interdum adnasci, sæpius tamen solitarius, ut cotes in agris, coalescit. Jn Jndia utraq; reperitur. Nam & ex nova Hispania adfertur, teste Boëtio, & in Cambaÿa, teste Linscotto itinerar. c. 86. ubi patellas & pocula ex eo conficiunt, qui instar Smaragdi viridis. Callaitidem, quem pleriq; eundem faciunt cum nephritico, quia è viridi pallet Plin. l. 37. c. 8.* nasci *scribit* post aversa Jndiæ, apud incolas Caucasi montis, sed præstantiorem in Carmannia. *addit: Vtrobiq; a. in rupibus invijs & gelidis, oculi figura extuberans, leviterq; adhærens, nec ut agnata petris, sed ut apposita. Quapropter scandere ad eam pigritiâ pedum equestres populos tædet, simul & periculum terret. Ergo fundis è longinquo incessunt, & cum toto musco excutiunt. Hoc vectigal hocq; gestamen divites in cervice gratissimũ norũt. Hic census, hæc gloria à pueritiâ deiectorũ nummorũ predicantiũ in quo varia fortuna.*

fortuna. Quidam ictu primo capere praeclaras, multi insectando nullas. Et venatus quidem callaidis talis. sectura formantur, alias fragiles. Optimus color Smaragdi: Ut tamen apparet, ex alieno est, quod placeant. Juncturae decorantur auro, aurumq; nullae magis decent; quae sunt earum pulchriores, oleo, unguento & mero colorem deperdunt. Viliores constantiùs repraesentant, neq; est imitabilior, alia mendacio vitri, sunt qui in Arabia eas inveniri dicant in nidis avium, quas melanchoryphos vocant.

Idem ex Plinio scribunt Caesalpinus atq; Encelius ll. dd. Caeterum nephriticum in nonnullis etiam Hispaniae locis, atq; Bohemiâ reperiri autor est Boëtius, licet paucis adhuc notum; eo quod à lapidarijs imperitis, vel pro Smaragdoprassio, vel pro Jaspide habeatur.



C A P. IV.

De Colore, Tranſparentia & duritie.



Olor eſt Tranſparentia. *Vt varijs coloribus eſt Jaſpis, ita & Nephriticus, qui tamen rubedinem non agnoſcit ullam, veluti Jaſpis, Deinde neq;, ut jaſpis, duplici colore facilè reperitur, ſed plerũq; uno, rariùs cũ punctulis interſperſis, eoq; viridi ſed diverſimodè. 1. Plerumq; qui ex albo ſeu lacteo & viridi coaluit. 2. Ex flavo viridis. 3. Ex cæruleo vel nigro viridis, qui color reliquis præfertur à Monarde, Cluſio & Clutio, dummodo cum perſpicuitate aliqua ſit coniunctus. Verus n. nephriticus, quando in planitiem non craſſiorem minimo digito redigitur, obſcurè tranſparere debet. Eſt n. ut in colore huius lapidis, ita & in pelluciditate diverſitas. Jnterim non eſt niſi ſemiperſpicuus hic lapis, Marbodæus Poëta ait:*

Optimus in viridi tranſlucentiq; colore,
Et qui plus ſoleat virtutis habere, probatur.

Boëtius

Boëtius ait lib. 2. de lap. & gem. c. 109. Habeo apud me multa genera, inter cæteros unum cristalli instar, sed albâ nubecula perspicuum, quem à viridiori, cui admotus erat, separari iussi. *Hæc ille. Quamobrem si qui albi reperiantur adnati, crudiores adhuc esse putandum est, atq; in incunabulis quasi, nec ad perfectionem provectos. Puto etenim de albo usq; ad viriditatem ex cæruleo & nigro, paulatim hos lapides ad perfectionem, tum in generatione, tum in usu ascendere. Habeo n. permagnum viridem, apud Indos diu usurpatū, cui inserta est particula alba & cruda, quæ indubiè aliquando ad maturitatem pervenisset, si diutiùs lapis in matrice requievisset. Qui v. ex subnigro virescunt, vel subcærculeo, diffiteri non possum, experientias aliquas in nostrâ hac Dania mihi notas esse, illos esse probatissimi usus. Atq; ille de quo mira prædicat Boëtius, quo nobilis Dammannus utebatur, scribitur fuisse obscurè viridis, opacus, ac si quis viridi colori nigrum immiscuisset cum punctulis nigris, ut in Ophite.*

Duricies

Durities, *est insignis suprà Jaspidem, ut chalybeorum instrumentorum vim eludat & validè infringat, et saphyrum æmuletur duritie. Vnde fortè Saphyri imitatorem vocavit Plin. quanquam de gemma ei maximè simili locutus, videlicet Callaitide.*

Superficies *eius semper pinguis, quasi oleo inuncta esset, videtur.*

CAP. V.

De Affinitate cum alijs lapidibus.



Uanquam ex ijs quæ hactenus dicta sunt, non difficilè fuerit, lapides nephriticos ab alijs discernere atq; dignoscere: ut tamen facilioris dignotionis sit; similes gemmæ quæ sint, vicinæ & affines, monendum: ne decipiatur quis gemmariorum imposturis. Solent n. passim illi atq; mercatores alij pro nephritico alios adulterinos vendere. Cuius rei exemplum in quodam mercatore Francofurtense, qui Magnatibus falsos vendiderat, formâ brachialium

lium, cingulorum, &c. adnotavit Clutius p. 8. Similis ergo & affinis est nephriticus;

1. Jaspidi. *Triplici a. signo à Jaspide discernipoterit. Quod durior sit Jaspide; quod exactè poliri non possit; & quod in ipso nunquam rubedinis quidquam conspiciatur. Veteres cum Galeno, nephriticum cum Jaspide confuderunt, eo quod vires nephritici ipsis incognitæ fuerint. Liquet hoc ex Camillo Leonhardo in speculo lapidum, l. 2. mihi, fol. 34. b. ubi de Jaspide verba faciens dicit, quosdam esse in densa viriditate translucentes; & smaragdinos, quando sunt cum quadam transparentia, esse pretiosiores. Omnes a. Jaspides arbitratur æqualis esse virtutis; quod nullâ firmâ ratione aut experientiâ facilè comprobaverit.*

2. Callaitidi; *de quo videantur Plinius, Cæsalpinus, Encelius ll. dd. cui similis est alius in India occidentali repertus, de quo Clutius p. 9. Verum an detur callais, dubitat Boëtius lib. 2. de lap. & gem. c. 303. p. 281.*

3. Smaragdo; *qui tamen nephritico est elegantior & magis diaphanus. Scribit interim Garzias, fuisse Genoæ nephriticum, de quo*

quo dubitabatur , anne Smaragdus eſſet, ob elegantiam. At nephriticus lapis non eſt niſi ſemi perſpicuus.

4. Praſio, (*qui Smaragdites dicitur vel mater Smaragdi, quia aliquando in eo reperitur, quando partes viridiores absq; flavedine, & perſpicuæ in praſio reperiuntur, Smaragdi illæ ſunt,*) *ob colorem porri vel praſij ita dicto, mixturam flavi & viridis : eſtq; nubeculis perſpicuus: & imitator jaſpidis viridis.*

5. Smaragdo praſio, *qui plus habet viriditatis, quam praſius , & plus flavedinis, quam Smaragdus : eſt n. flaveſcentis viriditatis.*

6. Heliotropio, *qui vilioribus jaſpidibus, et Praſijs adnaſcitur , vel innaſcitur. Eſtq; gemma viridis, ſanguineis punctis vel venis diſtincta, et licet jaſpis orientalis à multis vocetur, differt tamen à vero Jaſpide , quod ex parte tranſluceat.*

7. Malachiti, *ſeu* Molochiti, *quia malvæ inſtar viridis eſt, ſed cum venis plerumq; albis aliquando cæruleo, aut alio colore intermixto, & olim pro Jaſpide habita. Ad jaſpidis*

dis vel Prasij species referri potest.

8. Ophiti *vel lapidi Serpentino, cuius pleni sunt montes, & quasi ex eo conflati; circa Mariæbergam Misniæ. Vnde nihil non hodie tornatur & paratur, atq; per plurimas regiones distrahitur: Commendatur ferè ad illa, ad quæ nephriticus prodesse scribitur: Sed fragilior & mollior est nephritico Ophites, facilè scinditur & tornatur, estq; sine omni pelluciditate.*

9. Jgnobilissimo nephritico, *ut ita vocemus, ex Jndia occidentali advecto, coloris subnigri, opaco, minùs duro (quam est orientalis nephriticus) cuius vires ignorantur: Jncolæ eius regionis pro cuneis utuntur prius ligno comprehensis. Hondius in Theatro orbis, ait, lapides hosce lignis artificiosè insertos incolis loco armorum esse, quibus præliantur, & sontes plectunt.*

Verum de istis & consimilibus gemmis (exepto ultimo lapide) qui plura cognoscere volet, consulat Dioscoridem, Galenum, Serapionem, Avicennam, Mesuem, Plinium, Solinum, Jsidorum, Arnoldum, Jubam, Dionÿsium Alexandrinum,

xandrinum, Alb. Magnum, Marbodæum, Camillum Leonhardum, Agricolam, Gesnerum, Cardanum, Rueum, Matthiolum, Encelium, Libavium, Kentmannum, Cæsalpinum, Boëtium de Boed & Suenchfeldium.

CAP. VI.

De Qualitatibus & viribus occultis huius lapidis.

MIssis nonnullis indubiè magicis apud Albertum Magnum viribus, huic lapidis generi tributis, ut quod amorem atq; gratiam conciliet, à quâ sententiâ non planè abhorret Camillus l. d. quando Jaspidum generi omni tribuit, victoriosum, potentem ac gratum, gestantem facere. Eas potissimum veras recensebimus, probatiores et luculentiores quas autores nephritico adscribunt.

1. *Ad conservationem valetudinis in genere, ac præservationem à morbis in universum commendatur à Clutio p. 11. Sed nimium laudis esset, panaceam eam facere.*

2. *In ventriculi, œsophagi & coli doloribus ab eodem l. d. & p. 4. & præcipuè ad stomachi dolores appensum prodesse scribit Anshelmus Boëtius de Bood de lap. & gem. l. 2. c. 110. Existimant nonnulli vim illi stomachicam non inesse, nisi certas quasdam figuras habeat insculptas. At v. quod in se, sine ulla sculpturâ, hac virtute polleat, compertum esse scribit Clutius p. 4. Svenckfeld ait lib. 3. foßil. Siles p. 382. Multi annulis jaspidem inserunt, scalpuntq; in eo Draconis seu Scorpionis effigiem, sole versante sub signo Scorpionis. Quem è calculo præservare, & ventriculo languido robur addere summoperè prædicant. Jmò jaspis viridis, Galeno ipso teste, stomachum atq; os ventriculi iuvat, quare & annulis inseritur, inquit, insculptum gerens draconem radiantem. Qualem etiam Lausannæ, apud civem quendam se vidisse scribit Gesnerus de figuris lapidum fol. 113. b. Ego tamen, inquit Galenus,* efficaciam eius etiam sine hac sculpturâ probavi, factâ torque ex eiusmodi lapillis, ita ut collo suspensi os ventriculi contingerent.

3. *Ad diuturnos & gravißimos capitis do-*

lores, appensum, magno cum successu usurpatum à Mercatore quodam, scribit Vntzerus lib. 1. de Nephritide c. 24. dũ interiectis paucis diebus, humor peccans in capite liquefactus, instar seri crassioris puri permixti, per utramq; aurem copiosissimè effluxit per dierum sesquidecadem, quo fluore cessante, cephalalgia cessaverit, nec postea redierit.

4. *Catharris etiam vel destillationibus è capite in thoracem, post frustrà tentata alia remedia, eundem mercatorem propriam uxorem liberasse, idem eodem loco testatur, motũ ratione probabili, quod si arenulas è capite, atq; etiam per oculos expelleret, ut infrà dicetur, non segniorem futuram operationem in materia catharrali tum exsiccanda, tum absumenda. Jtim in difficili respiratione & cordis anxietate pulsui applicat cum successu vir quidam in nostra patria.*

5. *Ex gestatione huius lapidis alvum vehementer solvi (nonnunquam) non secus ac si quis purgante usus esset, aliquot historijs l. d. Vntzerus refert.*

6. *Ad partum promovendum commendatur*

tur à Dioſcor. l. 5. c. 147. Camillo l. 2. fol. 34. Clutio p. 11.

7. Tumores oedematoſos in pedibus inſenſibiliter diſcutit, ſaltem de collo ſuſpenſus. Eius rei hiſtoriam allegat Vntzerus l. d. in mercatore quodam Lipſienſi, cui ex lapidis huius geſtatione, & dolor remiſerit, & tumor paulatim decreverit, atq; planè evanuerit, repellulare a. viſus ſit, neglectâ per diem unum aut alterum geſtatione.

8. Aliquandiu geſtatus pruritum excitat: quod monuit Vitus Victor, bidui aut tridui ſpatio pro libitu excitandum, eius ad unum atq; alterum diem remotione, & iteratâ poſteà applicatione. Nonnunquam plures cuniculos ſubcutaneos parit, qui aperti frictione vel acu, minutiſſimarum arenularum copiam inibi collectam emittunt.

9. In ſuppreſsâ urina provocanda, miram eius virtutem probatam à Senatore quodam Lipſienſi, in duobus liberis ſuis, refert Vntzerus l. d.

10. In renum & viarum urinariarum dolore & calore calculis & arenulis expellendis incõparabile planè cenſetur auxiliũ, tam præſervativum

tivum, quàm curativum; ob quod nobile officium Nephriticus *dictus est, dignus ob solam illam virtutem omnibus gemmis anteponi. Hanc virtutem ei unanimi consensu adscribunt præstantissimi Authores: Nicolaus Monardes Medicus Hispalensis de simplic. Ind. histor. c. 20. de lapide Nephritico. Joan. Fragosus in histor. medicamentorum simplicium Indiæ c. 2. Vidus Vidius lib. 10. de curation. c. 20. Joh. Francisc. Vlmus l. 2. c. 7. de occult. med. propriet. Michael Neander in præfatione Phys. & parte* 1. *eiusd. p.* 142. Donzellinus in Consil. Cratonis, Cons. 148. W*itticbius de lapide Bezoardico. Libavius tom. 2. Syntag. alch. arcan. Ernestus Burgravius in Achille* πανόπλῳ, *Boëtius de Bood l. 2. c.* 110. *Renodæus sect. 2. l. 2. Vntzerus de nephritide l. 1. c. 24. p.* 115. *& l. 2. p.* 172. *&* 173. Clutius *de lapide nephritico passim. Sennert: in Instit. Phys. l. 5. c. 4. Bernhardus Paludanus & Otto Heurnius, referente Clutio, aliiq; infiniti.*

Adeò a. potenter calculos ac sabulum expellit, ut non solùm per canales urinarios, sed aliquandò arenulas etiam per alvum

fæcibus

fæcibus inteſtinorum permixtas, item per oculos, vel eorum angulos, ac nonnunquam totius corporis habitum, præcedente ingenti pruritu, validè exturbet.

CAPUT VII.

De Modo utendi hoc lapide in expellendis arenulis atq; calculis.

Virtutem hanc gemmæ ineſſe, parum prodeſt ut ſciatur, niſi ſimul modus utendi in morbo tã duro, et cruciatibus pleno iuxta cognoſcatur. Videntur itaq; quidam eius uſum internum adprobare, in quibus eſt Vntzerus, qui lib. I. de nephritide c. 24. p. 102. ita loquitur. Nobile medicamentum hoc noſtro ævo, ad pellendas arenulas & calculos, habetur lapis ille ſubviridis Nephriticus vulgò nuncupatus, cuius debito modo præparati & intra corpus exhibiti inſignes virtutes, & admirandos ſanè effectus ſæpenumerò, cum maximo valetudinis ſuæ commodo experti ſunt ii, qui longo tempore acerbiſſimis doloribus nephri-

ticis conflictati, omnem ferè ſanationis ſpem abiecerant. Et quamvis neminem adhuc novimus, qui lapidi huic intra corpus dato iſtam, quam diximus, facultatem, arenulas nimirum exturbandi, detraxerit aut derogaverit; tamen non immeritò dubitari à multis poſſe arbitramur, num idem lapis vel collo appenſus vel aliâ parte corporis geſtatus, ita ut nudam attingat cutim, eandem vel ſimilem pellendi è corpore calculum vim habeat, quam poſſidet præparatus & intro datus. *& p. 115. ſentit lapidis huius debito modo præparati, intraq; corpus ipſum exhibiti, maiorem atq; excellentiorem longè poſſe eſſe virtutem, quàm crudi & externè applicati. Ego nullam huius rei experientiam habeo, neq; alios luculentos authores, de uſu hoc interno me legiſſe memini, quamobrem nihil certi decerno. Unicus iam incidit tamen locus Laurentij Hoffmanni de uſu & abuſu Medic. Chym. pag. 117. ſcribentis:* Certè affirmare poſsũ, me vires Magiſterij eiusdem (*lapidis nephritici*) non contemnendas aliquoties eſſe expertũ. *Externum uſum v. commendant omnes, quos capite precedent*

cita-

citavimus, ubi modus utendi talis est.
1. *Lapis hic cingulo aluta, vel panno lineo assuitur, aut filum ei inditur, pro ratione partis cui applicandus; quod præfert Clutius, quam ut metallo aliquo includatur. Qui metallo inserunt, vel auro, ut Plinius, vel argento, quod suadet & imperant Camillus Leonhardus, Petrus Arlensis de Scudalupis; Boëtius de Bood p. 128. & qui à Boëtio p. 132 citatur Dammannus, cui exploratissimus huius lapidis usus erat, argento illum includi iusserat, asserens, facultatem ita ei inesse maiorem. Fateor me multos in hac patria nostrâ novisse, qui cum successu lapidem hunc gestant, omnes a. ferè argento inclusum.*
2. *Dictus v. lapis hic ita in corporis aliquâ parte gestabitur, ut nudam attingat cutim. Si stomachi levamen quærimus, stomacho applicetur: Sin renum intemperiem mitigabimus & dolorem, lumbis vel renum regioni: si calculos & arenulas vehementer & copiosè vis expelli, lumbis apponitur: si mediocriter & leniter; aut collo appendunt, aut brachio alligant, præsertim sinistro carpo. Sive ergo armillæ seu brachialia inde fiant,*

ſive cingula ſive amuleta è collo dependentia, pro intentionum varietate uſurpari poteſt.

3. Per intervalla lapis hic à corpore removendus, quod ipſum etiam Vitus Vietor ſuadet, iterumq́ postea applicandus. 1. Quia cùm ſatis ex præcedentibus colligatur, virtutem expellendi ex corpore noxia quæq́, huic lapidi ineſſe, ut materiam catharri & cephalalgiæ, partum, fæces, urinam; inprimis v. & ante omnia calculos & arenulas; utiq́ ex continuâ & non interruptâ geſtatione, aſſueſceret corpus humanum alteranti, atq́ ita non facilè ampliùs alteraret aut expelleret; ſicut, qui purgantibus, venenis &c. aſſueſiunt, iis nō ampliùs purgantur, læduntur. 2. Tempore longiori geſtatus, expulsâ ad ſufficientiam materiâ ſabuloſâ, cum aliud non habeat quod expellat, humores pituitoſos craſſos & viſcidos ad vias urinarias deferendo, eas oppilabit ac ſtranguriam introducet; idq́ interdum fieri Vietor ſcribit. Quo nomine, ne nimium agat et expellat, uſq́ ad vaſorum urinariorum obſtructionem, coguntur pleriq́ eum nonnunquam deponere; ſicut in Viminario Lipſienſi

exemplum

exemplum habet Vntzerus, pag. 113. qui nisi per dies aliquot è corpore removeret lapidem, non tantùm in meatu urinario, sed ano quoq́; cùm excernebat, non levem ardorem, acrimoniam & erosionem percepit. Et certè, qui in Daniâ hac nostrâ lapidis usum habent frequentem, fatentur nonnunquam se cogi ad eius remotionem, ob expulsionem plus iusto vehementem. Idem pluribus exemplis demonstrari potest ex Monarde, Clutio, Vlmo lib. d. & aliis.

CAPUT VIII.

De Historijs & experimentis varijs pro viribus hactenus enumeratis asserendis ex fide dignis Authoribus.

Quia incredibiles multas recensuimus virtutes, partim propriâ, non quidē proprio in corpore, sed aliorum ægrorum experientiâ, partim autorum, qui literis eas consignarunt: experimenta ex historijs authorum ad fidem faciendam hæsitantibus, vel

de viribus, vel de modo utẽdi adducemus. Puto tamẽ non parũ situm esse in lapidis ipsius electione, cùm non omnes sint eiusdẽ nobilitatis, itim in expultrice facultate subiecti patientis; quæ in alio citiùs irritatur, in alio tardiùs & difficiliùs. Deinde non dubium est in excessu laudis peccare aliquos, inprimis, qui etiam calculum in corpore atteri & comminui à portato lapide autumant. Reclamat experientia tum aliorum, tum inprimis Guilielmi Laurenbergij Doct. Med. Senioris, viri clarissimi, ut videre est in epistolicâ ipsius dissertatione, de calculo vesicæ pag. 13.

Ex Monarde l. d. adversùs nephritidis & stomachi dolores cõmendatur. Sed eius præcipua laus est ad nephriticos dolores & calculum expellendum & arenulas. Nobilis mihi notus unum habet, cui nullũ alium comparandũ vidi. Nam eum brachio gestans, tantâ arenularum quantitate liberatur, ut metuens ne ei noceat tanta eiectio, interdum eum deponat, nullũq; amplius calculum eiicit, sed cum dolor eum premit: denuo eum gestat, & statim levatur aut minuitur dolor,

multarum

multarum arenularum atq; etiam calculorum expulſione. Eâ etiam facultate præditus eſt, ut ab eiusmodi dolore præſervet geſtatus, renum calorem mitigando. Duciſſa Beiar ter brevi temporis intervallo nephriticis doloribus afflicta, armillam ex eo lapide confecit ſibi, quam perpetuò geſtat ex eo tempore, quod decennium ſuperat, eo dolore nunquam vexata eſt. Alij multi ſenſerunt idem levamen, eamq; ob cauſam magno in pretio ſunt huiusmodi lapides, nec uti initio tàm facilè acquiri poſſunt; quod ſoli earum provinciarum Reguli & Domini eos poſſideant, nec immeritò, cùm tam admirandæ ſint illorum facultates. *Hactenus Monardes.*

Ex Boëtio de Bood l. d. Ego nobiliſſimum virum Nicolaum Damannum, ordinis aurei velleris Heroaldum (cuius atavi noſtræ familiæ ante multos annos iuncti fuerant, & propterea agnatum meum) ſæpè referentem audivi, ſe nephritico lapide, quem

quem à fratre in aulâ Philippi Hiſpaniarum Regis degente, acceperat, plurimos qui nullis medicamentis curari poterant, ſubitò lapide admoto brachio circa carpum, ubi interna manus pars initium habet, non ſine Medicorum admiratione curaſſe. Erat lapis obſcurè viridis, opacus, non ſecus, ac ſi quis viridi colori nigrum immiſcuiſset. Punctula etiam nigra in ipſo, ut in Ophite, conſpiciebantur. Argento illum includi iuſſerat, ita enim maiorem facultatem habere aſſerebat. Jſtum omnibus alijs, quos habebat, præferebat.

Ex Clutio p. 5. & ſeq. Leidæ Anno 1620. Vir doctus & inſignis, lapidis huius uſu, quem pulſui, ſuaſu D. D. Otthonis Heurnij Medic. Anat. & Chirurgiæ Profeſſoris, applicarat, tantâ copiâ ſabuli, quâ diutiſſimè laboraverat, liberatus eſt, ut metu nimiæ expulſionis interdum depoſuerit, & per intervalla iterum appoſuerit. Et planè paria eveniſſe virgini Eliſabethæ Pavviæ, cui D. Bernhardus Paludanus lapidem eiusmodi nephriticum accommodaverat, *id. ibid. ſcribit.*

Ex Vntzero *l.. d. p. 111.* Juvat hic adferre obſervationes quasdam raras, ſingulares & admirandas, nec ab ullo unquam Scriptore traditas, de geſtatione lapidis nephritici, quas quidem acceptas refero Mercatori cuidam Lipſico, non infimæ notæ viro, qui inter alios noſtri temporis indagatores rerum exoticarum ſolertiſſimos ac diligentiſſimos, omnium perfectiſſimã, abſolutiſsimãq; dicti lapidis videtur adeptus cognitionem & experientiam. Js mihi retulit de nobili quodam, Johanne de Plauſick, diu nephriticis doloribus miſerè excruciato, cui cùm cætera vulgaria remedia, quorum quidem plurima expertus fuerat, nec quicquam opis aut levaminis attuliſſent, illum tandem ab alijs perſuaſum ad lapidem nephriticum confugiſſe, cuius particulam emptam, collo, ut erat doctus, appendit, & dies noctesq; ita geſtavit. Elapſis paucis aliquot diebus ac ſeptimanis, cæperunt unâ cum urina egredi infinitæ arenulæ, ac lapilli, quaſi confracti ſeu contuſi, quos ante lapidis appenſi-

appenſionem tantummodo integros & quidem fabæ magnitudine, non niſi ingenti cum difficultate excernere interdum ſolebat, & hæ arenulæ non tantùm eidem per canales urinarios, ut dictum fuit, verùm etiam (quemadmodum ipſemet faſſus eſt) per utrumq; oculorum, nec non per habitum totius corporis externum, in magnâ abundantiâ expulſæ fuerint. 2. Quod idem dictus Mercator affirmavit, ſe multoties cum in pluribus alijs, tum in ſe ipſo quoq; obſervaſſe. Nam cum aliquando propter nephriticos dolores per quinq; dies hunc lapidem geſtaſſet, tantam arenularum copiam per angulos oculorum ipſi expulſam fuiſſe, ut ob earundum ſalſedinem & acrimoniam uterq; oculorum tantâ rubedine fuerit affectus, non aliter ac ſi inflammatione quadam tentati fuiſſent. Cui quidem incommodo, ſi is diligenti oculorum ablutione quotidiè occurriſſet, rem benè habuiſſe, illâ a. neglectâ, per ſomnum ſeu quietem, ſequentis noctis, tantum arenarum ſeu ſabuli multitudinem in oculis coacervatam fuiſſe, ut agglutinando palpe-

palpebras, impedimento fuerint, quo minùs oculorum apertionem liberam & expeditam haberet, ſed ad hanc iuvandam rerum emollientium adminiculo oculis impoſitarum indigeret. 3. Idem quoq; ſanctè affirmavit, ſe aliquando propria excrementa alvina ab aliquot diebus collecta, aquâ abluiſſe, in quâ aquâ poſtmodũ ab excrementis illis ſeparata, tanta ſabuli ſubalbidi ac craſſi ſubſiderit copia, quantæ dimidia pars ovi anſerini vacua vix capax exiſtit. Quam quidem ſabuloſæ materiæ multitudinem, ſolius lapidis nephritici geſtati virtute, è corporis receſſibus interioribus ita foràs exturbatam fuiſſe, ex eo is ſibi perſuadebat, quod alio tempore, quo geſtationem hanc intermitteret, ne quicquam tale fæcibus inteſtinorum inhærens deprehendiſſet. 4. Præterea diligenter quoq; ille annotavit, interdum ex geſtatione hujus lapidis non ſolum pelli arenulas ac ſedari dolorem calculi: Verum etiam alvum quoq; vehementer

laxari, non secus, ac si quis φάρμακον hausisset, & destillationes è capite in thoracem insensibiliter quasi absumi, quemadmodum se in propriâ uxore huius rei indubitatum vidisse experimentum, narravit. Jlla n. cum molestissimâ destillatione seu catharro, ex capite in pulmonem impetuosè descendenti afficeretur, varijsq; medicamentis, à Medicis præscriptis, usa, peius semper haberet, tandem maritus illi lapidem appendit nephriticum (motus nimirum hac ratione, si ille tantâ polleret vi, arenulas è capite proliciendi, ac per oculos eas expellendi, utiq; non segniorem quoq; eundem debere præstare operationem, in materiâ catharrali, tûm exsiccandâ, tùm prorsus absumendâ) unde primo die 14 vel 15, secundo 9 vel 10. tertio pauciores habuit sedes, sequentibus v. singulis, non nisi semel tantùm, naturali modo ad excretionem stimulata fuit. Et cùm per tres septimanas illius gestationem continuasset, tandem præter omnem opinionem, à destillatione istâ liberata,

exoptatæ

exoptatæ ſanitati integrè reſtituta fuit: 5. Et ſimilem ferè effectum ait ſe quoq; in uxore A. K. ſocru ſuâ, hodie etiamnum ſuperſtite, obſervitaſſe, cui diuturnis ac graviſſimis capitis doloribus miſerabiliter excruciatæ, cum lapis nephriticus appenderetur, interiectis paucis aliquot diebus, humorem, ſeu materiam peccantem, in capite liquefactam, inſtar ſeri craſſioris, puri permixti, per utramq; aurem effluxiſſe copioſiſſimè, per dierum ſesquidecadem, adeò ut ad illius abſterſionem, quotidiè ſpongiolâ novâ uti neceſſe habuerit; tandem v. fœdo illo flumine ceſſante, capitis quoq; dolorem paulatim evanuiſſe omnem, nec ab eo tempore eundem quicquam moleſtiæ impoſterum illi exhibuiſſe. 6. Idem Mercator quoq;, cum aliquandò inſultum nephriticorum dolorum ſuſtineret, appenſo lapide dicto ad collum; circa veſperam iſtius diei extemplò doloris remiſſionem perſenſit; poſtero adhuc maiorem, tertio v. omnimodam eiusdem ſublationem ſeu extinctionem expertus

eſt. Et quod mirandum, ſingulis hiſce diebus tribus ſemper ad minimum ter vel quater alvus illi unà ſoluta fuit. Sic cuidam cophinopæo ſeu viminario Lipſienſi, ante portam Ranſtadienſem, calculi doloribus exquiſitiſſimis diu excarnificato, appenſione & continuâ poſtea lapidis nephritici geſtatione, non ſolùm in totum cruciatus iſti ablati fuêre, verùm etiam cùm illius lotio craſſo admodum, limoſo ac turbido, tantus lapillorum, arenularumq; numerus quotidiè ferè protruſus fuit, ut inde non tantum in meatu urinario, ſed in ano quoq; dum excerneret, non levem ardorem, acrimoniam & eroſionem perceperit, quam ob cauſam quoq; lapidem hunc per aliquot dies á corpore removere tandem coactus fuit.

Laurentius Hoffmannus comment. de uſu & abuſu Medicam. Chymicor. pag. 116. *&* 117. *ſcribit* : Eſt & noſtro ævo lapis repertus, dictus Nephriticus (ſicut etiam lignum nephriticum nuper ad nos delatum eſt) ob inſignem, quâ pollet, virtutem

tutem, adversus nephritidem, cuius magnam copiam Lipsicus quidam mercator possidet, qui lapidem hunc in cœlum usq; laudibus extollit, propter incredibilem in calculo expellendo potentiam. Experientiâ n. sibi innotuisse refert, lapidē hunc nephriticum, quem Constantinopoli secum attulit, non solùm arenas, tartarum & calculos per urinas, sed etiam per excrementa, & quod fidem ferè excedit, per puncta lachrymalia & internos oculorū angulos expellere: quemadmodum etiam in diversis scatulis arenulas & lapillos comminutos, per oculos, penem, & anum expulsos, mihi monstravit: Sed fides sit penes autorem. Interim tamen certò affirmare possum, me vires magisterij eiusdem non contemnendas aliquoties esse expertum. Hoc loci non omittendum, quid ab alio quodam observatū medico: urgentibus calculi doloribus immanissimis, post regionē renum, paulo tamē supra, lapidē admovit nephriticum. Quamprimū id factum, cessarunt dolores. Qui id fiat, quæsitus ab ægroto, in hæc erupit verba: Vti magnes

vulgò trahit ferrū, ita & iste calculū. Oriuntur v. dolores, si calculus à facultate expultrice incitatus, occupet meatus uterum. Jlluc illapsum, facultate magneticâ retrahit in cavitatem renum hic lapis: Undè symptomata dolorosa statim mitescunt. *Taceo experientias citatas à Vidio, Vlmol. l. d. d. atq; alijs. Neq; nos experimentis destituimur, in 4 præclaris viris, huius civitatis incolis, quibus usum huius lapidis suasimus, quorum duo obierunt, sed non ex calculo. Est vir quidam in hac Selandiâ nostra, famatus & bonus, qui cùm multos annos, non solum podagricis, sed calculi præsertim tantis sæpè excruciatus fuißet, ut clamore viciniam repleverit, & præ doloribus ex calculo, podagricum non senserit, tandem me per amicum nobis communem consuluit. Quæ ad calculum alioquin proficua creduntur, præscripsi: inprimis suasi, ut lapidis nephritici gestationem in usum vocaret. Comparavit sibi eum statim ex Batavia, argento munitum. Atq; iam annos aliquot meliusculè habens, sine dolore calculos excernit, immò jam non ampliùs calculos, sed arenulas & pituitā: atq; ob nimiā pellendi vehementiā,*

non-

nonnunquam removere eum à corpore cogitur. Tanti apud ipsum sit hic lapis, & meritò quidem, ut carere meliori parte suæ substantiæ, quam illo malit. Quis n. non malit opibus destitui, quam excruciari & quasi carnificina torqueri?

Dixi experientias meas in alijs: referam quoq; in meipso, qui aliquot jam annos cum calculi doloribus conflictor. Usus sum varijs nephritici generibus, non exiguo sumtu Venetijs, Noribergâ & ex Bataviâ allatis; semper frustrà. Quid in causâ sit, certò dicere nequeo; an peculiaris idiosyncrasia corporis; an quòd nephriticus non nisi arenas & lapillos friabiles ac molles expellat; in me verò plerią; non tantùm inusitatæ magnitudinis, verùm etiam siliceæ duritiei. Interpretor potiùs, Deum meum potentiam & bonitatem abundantem indigno mihi declarare, quod sæpiùs me à tantis carnificibus sine humanis medijs liberet: cui idcirco laus & gloria in omnem æternitatem.



CAPUT VIII.

Virtutes huius lapidis probabiles fieri ex rerum aliarum gestatarum, in varijs morbis, viribus.

OBservationes & experientias pro firmando instituto nostro, adscripsisse satis esset, nisi ex abundanti nonnulla addere animus esset, ex similibus exemplis, tùm aliorum lapidum, tum rerum aliarum, præter lapides præsenti & sequenti capite: tandem v. adversariorum argumentorum solutionem ultimo capite subnectere. Probabile ergo esse satis, lapidi nephritico, externis tantùm partibus applicato, vim aliquam admirandam inesse exinde liquet, quod infinita alia dentur auxilia & remedia, quæ absq; usu interno, aut intra corpus sumtione, sola gestatione aut nuda appensione, in gravissimis affectibus p. n. propulsandis aut alijs affectibus stupendam vim exeruerunt. Neq; convellitur hæc veritas, ut Gesnero obviam veniamus, quòd non

semper & in omnibus res succedat: Cùm neq; interna medicamenta semper optatum successum sortiantur, utrobiq; iisdem de causis: ut morbi vehementiam, medicamenti vilitatem, subiecti patientis errores &c. Jnterim dantur morbi periculosissimi, ut & gravissimi, ubi frustrà adhibitis internis, externa juverunt, sicut ex observationibus, praecedenti capite allatis, liquidum est. Et nos exempla novimus, non in calculo modò, sed febribus etiam, hemorrhagiis & similibus. Ex multis pauca quasi exempli loco delibabimus: metallicis & lapidibus exceptis, de quibus seq. capite.

1. In Febribus *pertinacibus, Epithema ex scorpionibus, araneis, earumq; telis, theriaca, & nonnullis aliis pulsui applicatum nobile est auxilium. Jn eundem usum commendatur os hominis mortui nunquam febrem passi appensum; item talpam manibus, donec moriatur, in paroxismo tenere: Item aranea nuci avellanae inclusa & collo appensa, et in febribus puerorum camphora. In quartana*

scarabai

scarabæi vivi linteolo involuti , & collo suspensi. In febribus malignis ac peste arsenicum , Mercurius , itim aranea inclusa ut supra. Suadent etiam pentaphyllum, dictamni radices, betonicā cum radice manibus gestare.

2. Exanthemata. *Intuitus rerum rubrarum provocant, & tegumentum panni rubri præsertim scarlati.*

3. In hæmorrhagia *cuiusq; partis nimia, bufo exsiccatus, & Vsnæa, vel muscus cranij humani, manibus donec incalescant detenta. Aliqui bufonem aëre exsiccatum præferunt sub alis gestatum , in sericeo sacculo. Rhasis suspendere iubet mammis, sacculos cineris ranæ maioris plenos. Lingua vulpis dorso vel mammis apposita sistit hæmorrhoides & menses & secundùm quosdam etiam ophtalmiam ; itē gestata clematis, bursa pastoris , radix bistortæ, muscus qui buxo adnascitur , radix pervincæ aut taraxaci linguæ supposita ; cruribus vel fœmoribus alligata potentilla, acetosa , chelidonium minus, &c.*

4. In Epilepsiâ *Radix Pæoniæ collo appensa probatur Galeno , Fernelio , Montuo & Foresto ; qui tamen viridem & cum semine eiusdem appendit. Vngula alcis in eundem usum*

ſum commendatur à Fernelio, Agricolâ, & Lemnio, appenſa vel annulo incluſa, annulari digito ſiniſtræ manus applicando; item ſi ſiniſtræ palmæ imponatur, manusq́ʒ in pugnum contrahatur. Itim ſi pulſibus alligetur, cordis regioni, aut particula in aurem ſiniſtram immiſſa, aliquandiu velut ſcalpendo moveatur. Commendatur itim viſcum quercinum &c.

5. Cephalalgiam *curat Ariſtolochia alligata, ſi Plinio credimus, capiti, item circumdata verbena, hedera & anguium ſenecta:*

6. Vertiginem *oleum ex araneis inunctum.*

7. Spaſmum, *particula dentis equi, qui fortè ut in apris plus iuſto excrevit, cuti nudæ applicata: Corium anguillæ excoriatum & applicatum, præſtantiſſimum in convulſionibus remedium. Item os alæ Phaſiani in manu geſtatum illius lateris quod afficitur.*

8. Oblivionem *lingua upupæ ſuſpenſa tollere creditur Rhaſi.*

9. A Somno *proprietate excitare putatur Philomela pulvinari ſubſtrata, & caput veſpertilionis inter latera lecti poſitum.*

10. Ebrietatem *prohibet hedera, coronæ inſtar*

instar capiti imposita, vel succus eius capiti admotus.

11. Hydrophobian *sanat dens caninus, à cane qui momordit, avulsus, & brachio alligatus: ut nihil dicam de pilis eiusdem & carne cum vulneri imponuntur; singulari præsidio.*

12. Paralysi *medentur integumenta ex pellibus vulpinis & leporinis; anserum, columbarum, gruum, & avicularum silvestrium plumis.*

13. Visum *reficit intuitus rerum viridium & politarum, ut speculi ex calybe splendidi inspectio, etiam gemmarum & auri, quod spiritum vitalem unà roborat & recreat, præsertim si quis donatum accipiat. Lippitudines, ranæ oculus dexter, dextri oculi, sinister sinistri à collo dependens in panno nativi coloris.*

14. Odontalgiæ, *lepidij radix collo suspensa, docente Dioscoride.*

15. Jn vulvæ affectibus, *radix braßicæ de collo suspensa.*

16. Anginam *sanat nidus hirundinis applicatus*

plicatus, vel inde emplastrum, cochlearia ex hedera ligno facta, pœonia; vel caput viperæ exsiccatum, &c. collo in linteolo appensum, item filum sericeum robustum, quo vipera strangulata, collo circumdatum, præsertim ex serico rubro, Charmesino vel bysso, idemq́ Galenus docet.

17. Ad strumas *radix plantaginis & acetosæ collo appensa, teste Dioscoride, imò strumas iuxta ac parotidas, manu immaturâ morte raptorum contactas, atq́ ita sanatas, frustra tentatis aliis remediis, exemplum adfert Vlmus. Reges Galliæ & Angliæ hoc divinitùs habere concessum permulti scribunt, ut solo attactu strumas ac scrophulas sanent.*

18. Cordis palpitationem, *camphora collo appensa.*

19. Ventriculum *roborant proprietate, applicatæ pelles vulpinæ, leporinæ, lupi, catuli, vituli abortus, avium plurimarum, inprimis vulturum, corpus calidum animalis, ut*

catelli

catelli ventriculo accumbentis, inprimis mariti, uxoris, infantis, aut manus propria vel alterius admota.

20. Colicam, *Vmbilicus infantis annulo argenteo inclusus, & ut cutem tangat gestatus (quod multiplici experimento probatum asserit Trallianus) totam chordam umbilicalem ad hosce usus siccatam & asservatam aliqui laudant; item collo appensam avellanam argento vivo plenam, ita ut ventrem attingat. Ex lupo complura amuleta nos docuit Platerus, præceptor meus in praxi medicâ, tract. 2. de ventris dolore, pag. 625. Eius verba adscribam*: Cingulum nudo ventri circumdatum, factum ex intestino lupi, vel ex pelle lupi, sic cinctum ut pili ventrem attingant, pellis item lupi catuli adhibita, fimus item lupinus ventri alligatus magni fit, vel stercus lupi sic avellanæ inclusum & appensum; quod efficaciùs operari putant, si chorda cui appensa est avellana ex corio cervino fiat, vel ex filo ex lana ovis texta, quā à lupo priùs raptam aut interfectam esse debuisse nimis superstitiosè credunt. *Hæc ille.*

21. Lum-

21. Lumbricos *expellunt res nonnullæ amaræ, ad ventrem applicatæ, item allium collo appensum, uti & stæchas citrina.*

22. Jcterum *Tinea piscis admota regioni pectoris vel plantis pedum alligata, testibus Gesnero & Kentmanno. Liberatur etiam Jctericus, si attentè intueatur avem Galbulam; Jctericum v. non libenter ista avis adspicit.*

23. Lienosos *pollex Pyrrhi solo tactu sanavit.*

24. Jn Diarrhæa *potentilla viridis plantis pedum alligata iuvare existimatur.*

25. Renum dolores *mitigant pelles cuniculi vel leporis.*

26. Jn Stranguria *aspectum solum floris Cardui Mariæ sibi profuisse miles quidam asseruit, referente Platero tract. 3. prax. p. 855.*

27. Jmpotentiam veneream *sanat satyrion Erythraicon, manibus solùm detentum, ut habent Dioscor. & Plinius. Qualis monstrifica illius herbæ vis apud Theophrastum, quâ tangunt genitalia. Jtem pellis cervina, quando amore exæstuat cervo detracta, & lecto coniugali superstrata; item cineres*

stellionis

stellionis nigri, in petia ligati & manu sinistrâ gestati. Nam si dextrâ teneatur, venerem impedire & imminuere statuunt.

28. Difficilem partum *promovent, cingulum ex corio humano factum & præparatum, item ex spolio seu exuvijs serpentis. Oculus Leporis capiti applicatus; Crocus collo appensus; polypodium elixum pedibus admotum.*

29. Abortum præcavere *putàtur malva, parietaria, tormentilla cum radicibus appensa. Radix hyosciami, inter mammas, vel ad ventriculum alligata, fœtum retinet; fœmori, præcipitat.*

30. Podagram, *appensus ad crus affectum sacculus ex pelle hædina confectus, cui inclusa sunt crura testudini vivæ amputata; cochleæ terrestres tusæ, adhibitæ: caro cancrorum fluviatilium coctorum contusa; caro lupi recens vel salita, caro vitulina semitosta; corium canis vel torpedinis, stercus vaccinum seu bubulum calens.*

31. Pedum frigus, *extima cuticula pedum anserinorum pulverisata & applicata.*

32. Furunculos sanare *Leontopodij radicem instar amuleti suspensam docet Dioscorides.*

33. Ver-

33. Verrucas *tolli contactu solo, si totidem ciceres, quot sunt verrucæ sumantur, & singulis singulæ tangantur, posteaq́ linteolo involuti, post tergum lunâ nova proiiciantur, docet Dioscorid. Vulgus sic usurpata pisa postea in ignem conijcit. Alij aliter hæc cum ipsis docent. Sed hæc ridicula.*

34. *Ad* fici *sanationem, clymenum rubrum tantâ vi pollet, ut ab hoc morbo tutus sit, qui radicem eius gestaverit.*

Os milvi piscis aurum trahere, autor est Simplicius, cui subscribit Scaliger. De Lunaria, Sferracavallo asserit Matthiolus, quod soleas ferreas ab equis transeuntibus, quasi extorqueat. spicula incredibiliter trahit adhibitus Dictamnus. Qui gestabit pedes & chelidas anteriores cancri, aprorum incursus evitabit. Morsus ex tarentula, frustra medicamentis curatur, feliciter solâ Musicâ.

Ceterùm de amuletis & periammatis consulantur Trallianus, Albertus, Villanovanus, Marcellus, Fernelius, Platerus, Renodæus & alij, quibus plus fidei habendum, quam amuletorum iniuriosis osoribus.

CAP.

CAPUT X.

De Lapidum & Rerum Subterranearum gestatarum viribus.

1. Febribus *medetur Chryselectrum collo alligatum, jaspis gestatus, Smaragdus è collo pendulus, Crystallus manu detentus, Achates ore vel manu detenta, Molochites (in pueris) lapis crucifer, Ophites.*

2. Quartanam *chelidonius delet, linteo inclusus & collo appensus.*

3. A venenis & peste *præservant cordialia, gestatus Rubinus, Hyacinthus, sapphirus (qui nec lepram ferre dicitur) opalus, achates, jaspis, corallium, ovum Anguinum, Bezoar. Inprimis commendatur in peste amuletum, ex hydrargyro, quo avellana perforata & excavata repletur, colloq; suspenditur, sic & arsenicum. De quibus videatur consilium nostrum de aëre pestilenti, editum ante annos aliquot.*

4. Anthraces & Carbunculos *arcet, atq; natos extinguit applicata sapphyrus.*

5. Cephalalgiam *mitigat Ophites gestatus, Turcois, Chelidonius.*

6. Ebrie-

6. Ebrietatem *arcet & sensus omnes acuit Amethistus gestatus ; aliis, umbilico admotus vini vaporem ad se trahere putatur.*

7. Jntellectum bonum *dicitur Berillus gestatus facere, Topasius item.*

8. In Epilepsia, *lapilli in ventribus hirundinum reperti epilepsiam profligant, si collo vel brachio annectantur. Diosc. Alÿ in paroxÿsmo capiti aut auribus imponunt albiorem, nigriorem cuti alligant : rufum linteolo exceptum sub sinistra axilla gestare iubent. Smaragdus gestatus, Onÿx, Corallium.*

9. Jn Apoplexia & caro, *Smaragdum collo appensum, ut nudam carnem tangat conferre asserunt ; item lapidem stellarem.*

10. Melancholicos, Lunaticos & insanos *iuvat lapis chelidonius, qui rufus est, dextro brachio alligatus. Arnoldus scribit, eum panno linteo, vel corio vituli involvendum, & sub axillâ sinistrâ gestandum.*

11. Triſtitiam, Melancholiam, & Terrentia ſomnia, *aliaq́ terriculamenta nocturna avertit Rubinus, collo ſuſpenſus; Granatus, opalus, Smaragdus, Topaſius, ſeu chryſolitus veterum, criſtallus, corneolus, Chalcedonius, molochites, lazuli, corallium, ſuccinum, Gagates, Chelidonius.*

12. Somnum minuit *Rubinus.*

13. Provocat *vero ceraunias.*

14. Jn Vertigine *appenſum criſtallum plurimum valere cenſent, atq́ ex poculo inde parato, eâ de causâ bibunt, vel poculis criſtallum immergunt.*

15. Spaſmum *Molochites ſanat.*

16. Jn hæmorrhagia nimiâ. *Jaſpis, inquit Galenus, tacto vulnere, unde ſanguis prorumpit, eum ſiſtit. Sed hoc præſtabit rubeus præſertim Jaſpis, cuius vires miras contra hæmorrhagias expertus eſt Boëtius. Selenites annulo incluſus, nudæ carnis contactu, ſanguinem è parte quavis emanantem ſiſtit. Sic ſarda carniola dicta, Onÿx chalcedonius dictus, corallium &c. ſi iugulares venas tangant. Sic*

Umbilicus

Umbilicus marinus, lapis carpionum (quem non esse oßeum illud triangulare ad primam vertebram spinæ dorsi, sed alium in cerebro propè oculi superficiem, semilunarem, ut in perca & cæteris, contra Boëtium de Bood sentit Platerus, tractat. prax. 3. p. 688.) in ore retentus & priùs refrigeratus, sapphirus fronti adhibita, Smaragdus ori inditus, Topasius, corallium album pectus contingens, lapis crucifer.

Lapis hæmatites manibus detentus usq; dum incalescat, hæmorrhagias sistit. Eadem vis inest lapidi Alequecæ in India orientali reperto, cuius contactu vel suspensione sanguis, quâcunq; ex parte effluat, sistitur, ut tradit Garzias ab Horto l. 1. c. 53. Vnde ab Osorio annotatum è duce quodam Indo, multis vulneribus confecto, sanguinem nunquam fluxiße, nisi detracto priùs ab huius collo lapide quodam, cuius virtute sanguis intra venas continebatur.

Ad lactis amissi restitutionem supra modum laudatur hydrargyrum, avellanæ excavatæ per angustum foramen infusum,

& obturato cerâ orificio inclusum, colloq; appensum. Rationem quidem reddere studet Saxonia in libro de plica cap. 52. sed dubiam.

17. Ophthalmias *& oculorum fluxus tollit succini frustum cervici alligatum miraculi instar, inquit Mizaldus, Chelidonius aureo globulo inclusus, colloq; appensus, omnem oculorum dolorem, perpetuo avertere perhibetur.*

18. Lippitudines *sanant oculi cancri: Smollius. itim Turcois.*

19. Visum conservat *Sapphirus, si eum quis sæpiùs contueatur, oculos ab iniuriâ defendit, imo in orbiculum redacta, quantitate pisi, & perpolita oculis imposita, pulveres, culices & quicquid in oculum incidit, aufert. Quod & de Onyche scribunt, & Chelidonio, imò Boëtius de omnibus lapidibus lævibus & augulis carentibus, si hinc inde in oculis volvantur. Vti & vetera oculorum vitia, à variolis & morbillis oculos tutatur. Sic visum tuetur Achates rubra, lazuli, umbilicus marinus.*

20. Cordiales *gemmæ sunt, sapphirus, opalus, Achates, Molochites.*

21. Sitim ac cordis æstum *sedat Alectorius ori inclusus.*

22. Stomachum *firmat, nauseamq; & vomitum probibet jaspis viridis collo appensus, ita ut circa ventriculi orificium pendeat. Molochites præcipuè, quæ olim pro jaspide habita.*

23. Sodam *probibet lapis carpionum ore detentus.*

24. Colicam, *ophites: Mercurius putamini avellanæ inclusus, & collo suspensus, colico dolori, & ventriculi flatibus, eximiè opitulari creditur, teste Bertino.*

25. Vermium generationem *prohibet gestatus lapis stellaris.*

26. Hepaticos *Chelidonius dextro brachio alligatus sanat.*

27. Dijsenterias & fluxus hæmorrhoidum *ventri adhibitus sistit Smaragdus.*

28. Jn Hydrope. *Narrant lapidem à colubro aquatico, fune caudâ alligato & suspenso, vomitu in suppositam aquam reie-*

ctum, tantarum virium esse ad aquam absumendam, ut eam in quam decidit, mox absumat, eum si ventri alligetur, aquam in eo quoq; consumere; Sic & jaspis in hydrope laudatur.

29. Ab Herniis *praeservare & curare infantes scribitur ceraunias cunis impositus.*

30. Calculū *curat jaspis, sole scorpionē ingrediente, figura scorpionis sculptus; Smaragdo prasius brachio applicatus urinā ciet, arenulas pellit, calculi generationem probibet, Nephriticos & Arthriticos dolores cōpescit: Caspis viridis: Lapis Bufonius, lapis percarum geminus repertus, loco dolenti, quando in ureteribus haeret calculus, suppositi illum trahunt, donec in vesicam incidat. Ophites etiam laudatur.*

31. Veneris tentigenes *gestata probibet Sapphyrus, Topasius.*

32. Venerem ciet *alectorius gestatus aut ore detentus.*

33. Vteri suffocationem *avertit lapis hystericus mirabiliter. Monardes.*

34. In partu, *aetites vel lapis aquilae supra*

pra uterum gestatus , ut inter mammas ad ventriculum , in sinistro brachio vel nudus, vel corio vitulino , quod alij malunt , priùs involutus , fœtum retinet (Sic Smaragdus , iaspis) : Infrà ut coxa, fæmori , pedi ; præcipitat. Proinde fœtu & secundinis prodeuntibus , removendus lapis, ne excidat matrix, cuius rei exemplum apud Valeriolam. Magnes manu retentus , partum promovere dicitur.

35. Abortum *præcavet ætites supra uterum gestatus, ut modo dictum , item jaspis, lazuli , & Samius , gestati vel collo appensi. Corneolus ventri alligatus &c. (quæ auferenda instante partu)*

36. Jn arthritide, *Magnes manu tantum detentus chiragricum & podagricum dolorem sedat.*

37. Tremorem *membrorum arcet lapis stellaris.*

38. Ab Erysipelate *præcavet Vmbilicus marinus.*

39. Jnflammationem *sedat applicata sapphirus & corneolus.*

40. Con-


40. Contusionem *sedat eadem, partem fortius premens.*

41. Ad casus pericula, *Turcois, Molochites, (quæ & ad hernias) oculi cancrorum.*

42 Ad submersionis periculum *in aquis: Jaspis grammatias, & crucifera, Corallium.*

43. *Tandem argentum vivum, appensum* in fascino *valere meminit Libavius Tom. 2. Syntag. arc. lib. 4. c. 25.* Wierus *lib. 5. de præstig. Dæmon. c. 19. ait : Ligatum sanare creditur, si argentum vivum in calamo, vel avellanæ nucleo vacuo cum cera occlusũ sub pulvinari maleficio læsi collocetur, aut sub limine ostij, per quod is in domum vel cubiculum ingreditur. Idem eodem modo recensent Pedemont. lib. secret. 4. & Hildebrand. lib. 1. mag. natur. c. 36.*

Sed verum remedium est collocatum in pietate & precibus



CAP.

CAPUT. XI. & Ultimum.

Sententiæ Adversariorum occurritur.



Tq; ita usum simul præcipuorum amuletorum contra plerosq; morbos monstravimus, quæ Græci φυσικὰ περίαπτα, περιάμματα ἀποτρόπαια vocant: nihil morati aliorum, ut Erasti, Gesneri, &c. insolentiam, qui usum amuletorum penitùs damnant & derident. Movere ipsos potuißet Trallianus, aßeverans, Galenum tandem usu doctum suspicere talia cœpiße. Galenus certè filis, quibus vipera strangulata fuit, jaspidi viridi, hieraciti, lupino stercori, atq; alijs etiam vires

inesse tradidit, quibus alligata certos morbos sanent.

Nec auditam refert, sed propriam iactat experientiam. Obgerit *Erastus in disput. contra amuleta directâ Thes.* 49. *Quæ appenduntur, vel sensibiliter vacuant, vel insensibiliter. Illud nunquam factum novimus: si qua insensibiliter hoc faciant, non nisi* longo *tempore quantulamcumq́; humorum copiam dissolvent. Quippe extenuari priùs & in halitum, flatusq́; verti oportet. Quod an sine calore fieri possit, iudicet qui volet. Resp.* I. *sensibiliter quædam vacuare, liquet ex ijs, quæ de* solo la*pide nephritico suprà attulimus.* 2. *Insensibilem etiam* operationem

admit-

admittimus, eamq́; vel maximè; tum modo ab Erasto adducto, modo ratione inexplicabili & virtute occultâ. Non sum nescius nimium gemmis tribui à quibusdam, etiam illa quæ ab ordinarijs naturæ viribus fieri non poßunt, ut invisibilem aliquem facere, quod Ophtalmio tribuunt; adulterium prodere, quod smaragdo adscribunt; eloquētem, pauperem, omnibus gratum & acceptum, divitem, fortunatum, victorem, tutum & securum aliquem facere; & quæ huius generis sunt complura; v. g. Adamantem scribunt constantiam, victoriam, animiq́; fortitudinem efficere, iram comprimere, coniugum amorem fovere, unde reconciliationis gemma vocatur. Jmò eò dementiæ progreditur huma-

humana nequitia, ut scribant aliqui gemmis Deum reddi gestantibus propitium, ac dæmones eisdem fugari. Sufficit in medendis corporis humani affectibus alijsq; quæ experientia comprobat, subsistere. Reliqua superstitiosiora de lapidibus, iis, qui vere ipsi lapides, relinquemus.



[iii.]

CASPARI BARTHOLINI DE PYGMÆIS OPUSCULUM.



HAFNIÆ,
Excudebat Georgius Hantzsch,
Anno 1628.



Reverendis & Doctißimis Viris,

IN DIOECESI SCANICA PRAEPOSITIS

Ecclesiarum provincialibus, Dominis amicis & fratribus in CHRISTO *optatißimis*

D. D. D.

C. BARTHOLINUS.



CAP.

CASP. BARTHOLINI

DE PYGMAEIS OPUSCULUM.

Prooemium.

CUm reperti fuerint, qui de Gigantibus tùm ex professo scripserint, tum incidenter quadam prolixitate commentationis in Genesim Mosaicam; qui verò de Pygmæis datâ operâ opus aliquod reliquerit, inventus hactenus, quod equidem sciam, nemo sit: operæ pretium me facturum existimavi, si animi causâ hanc in me provinciam susciperem, ob argumenti raritatem & difficultatem, quâ territi videntur alij; Venaturus non quantum debeo & volo, sed quantum possum, labore aliquo subcisivo; alijsq; doctioribus ansam in hanc rem uberiùs inquirendi præbiturus.

Cap.

De Pygmæis
CAPUT. I.

De Homuncionibus & pumilionibus seu nanis à Pygmæis distinctis.

DE Pygmæis me scripturum recepi, seu cubitalis statura homullis: non de quibus vis coacta statura hominibus, diminutis & decurtatis ab reliquorum commensu. Cum n. nulla animalium detur species, quin differentiam quantitatis aliqualem recipiat secundùm maius & minus: in humana utiq; hoc etiam apud omnes ferè gentes cottidianum cernitur atq; ordinarium. Quamquam interim non de nihilo sunt querelæ Homeri in libris suis, ad quem allusit Juvenalis scribens:

Nam genus hoc vivo iã decrescebat Homero,
Terra males homines, nunc educat atq; pusillos.

Atq; Plinii lib. 7. c. 16. Homines nostris hisce temporibus, quàm sæculis superioribus paulatim gigni breviores & minores. Addiderim ego, ut plurimùm: causâ n. incidente aliquando fieri potest atq; rariore, breviores

vieres parentes prolem aliquam proceriorem in lucem edere, atq; avorum & atavorum longitudinem in nepotes migrare. Quod a. illi de quantitatis imminutione conquesti sunt, longè adhuc veriùs de vitæ brevitate conquerendum: Homines olim ante diluvium ultrà annos 900, & olim post diluvium, primùm ultrà 400, deinde ad 150 vixisse: hodie inter aliquot myriades vix unum 90 attingere. Nempè mundus universus ab annis ad annos fit infirmior, per ætates etiam suas senescens decrescit, & vires paulatim amittere videtur quicquid sub cœlo. Quinimò & ipsum cœlum instar fumi deficere, & terram instar vestimenti veterascere atq; atteri, Spiritus Dei, omni exceptione maior pronunciavit Esai. 51, 6. Quamobrem non iniuriâ Cyprianus dixit, totum de semetipso testari mundum, omnia

In peius ruere & retro sublapsa referri.

Hinc Esdræ lib. 4. c, 5, v. 54 et 55. dicitur: Considera ergo, quoniam minori staturâ estis, præ his qui ante vos, et qui post vos, minori quam vos, quasi iam senescentes creaturæ, & fortitudinem iuventu-

iuventutis prætereuntes. *Innuit ergò creaturas iam consenuisse & vires excessisse iuventutis, non secùs ac vir florenti ætate validam prolem generat; instante senectute non nisi debilem atq; infirmam. Cæterùm hanc in rem uberiùs verba facere, nostri instituti non indulget ratio. Hoc potissimùm præsenti capite monere propositum est; etiam in humana specie, ut alijs, dari non tantùm homines grandes, proceros & quasi Gigantum minorennes filios; verùm etiam* μικρανθρώπους, *quos Græci etiam vocarunt* νάνους: *qua de voce vide Gellium lib. 19, c. 13. Latini homunciones, homullos, pumilos, pumiliones & ad imitationem Græcorum* nanos *appellitant: qui tamen Pygmæi non sunt, aut cubiti saltim altitudine, neq; antra & specus instar Pygmæorum petunt: sed cum maximis nonnunquam certant ingenio, prudentiâ, sapientiâ, arte militari, robore; agilitate v. & celeritate plerumq; superant. Homulli namq; fuerunt ex eruditissimis ac ingeniosissimis viris: Melanchton, Erasmus, Eberus, Hemmingius, Taubmannus, Grotius; & ante hos Marsilius Ficinus, Jacobus Faber Stapulensis*

sis

sis, aliiq; complures; Olim v. Poëtæ insignes & aliàs docti & eloquentes, Ancus Tragædiarum princeps scriptor, teste Plinio, Aurelius, Augurellus, Cornelius Licinius Calvus à Catullo ob corporis exiguitatem Colopichius *dictus & Horatius, Virgilius, Persius, Hortensius, Salustius: itim religiosi, fortes & animosi, Numa Pompilius, Coriolanus, aliiq; infiniti cùm bello, tùm pace illustres viri: Lycurgus, Solon, Demosthenes, Themistocles, Miltiades, & ipsi septem Græcorum sapientes: ut non iniuriâ Aristoteles Alexandro præceperit, non debere ab ipso contemni parvæ staturæ homines, quia plerumq; hi sapientiâ, consilio, & optimè politis moribus inveniantur præditi. Consentit Cato his versiculis:*

Corporis exigui vires contemnere noli,
Consilio pollet, cui vim natura negavit.

Et Avicenna autor est, naturam supplere ingenio, ubi corpore deficit. Ex fortißimis bellatoribus: David Rex & Propheta, omnium virtutum cumulo ornatus, Agesilaus, Alexander Magnus, Augustus Cæsar, Antonius Caracalla, Diomedes, & Menelaus, Vlyßes, Nicolaus Piccinius Italus &c. Vt n. in

putri

putri vagina ensis ferreus (rectè quidam scripsit) sic in fragili corpore fortis & perutilis animus sæpè latet. Atq;

A cane non magno sæpe tenetur aper.

Vide mihi Saulē, toto vertice supra populū eminētē: māsuetus fuit, fortis, pius, ut ad regnū veniret; sævus ignavus, impius ut malè administraret; tādē etiā amens ut sceptro pariter atq; vita spoliaretur. Magnus etiā fuit Goliath, sed improbus, nec fortis quidem: Martem enim ventosa in lingua duntaxat habuit.

Plures tamen fortes viros non negavero fuisse partim excelsa atq; eminente staturâ, partim grandi vastoq; corporis pondere: ut fuêre Agamemnō, Aiax, Antenor, Africanus Scipio, Claudius Cæsar, Cajus Cæsar, Carolus Rex Francorum, Consalvus Cordubensis, Flavius Domitianus, Georgius Scanderbegus, Georgius Fronspergius Suevus, Gothofredus Bulenius, Johannes Assumbeius, Ussumcassanus, Mausolus, Magnus Sfortia, Mahometes II. Turcarum Imperator, Nestor, Neoptolemus, Ottho, Palamedes, Romulus, Troilus, Tiberius Cæsar, Tamerlanes Schytarum Rex, & Reges Daniæ plerią; in hunc usq; diem. Cum n. Anno Christi 1474 Christianus I. Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ &c. Rex, Romæ, quò religionis causâ venerat, à Pontifice & Romanis videretur;

in stuporē illi coniecti sunt, obiis inusitatā Regis & proceritatem & formositatem; quâ veneratione in corporis illa maiestate merebatur. Mēsura altitudinis eius Regis adhuc Roschildiæ in capella, ubi dormitorium Regum Christiani III. & Friderici II, reperitur.

Verumenimverò nimium si quantitate deficiunt nani, *Magnatibus ludibrio sunt, & materiam risus ac ioci semetipsos præbent, quales crebrò in Tartaria nasci narrant: unde factum, ut modū etiā procreandi pumiliones non secùs ac melitæos canes Cardanus annotaverit de subtilit. l. 11, mihi p. 460. Verba eius adscribo:* Nascuntur ex parvo patre ac matre, fascijs arctè colligantur, non affatim nutriuntur, sed tenuiter. Eâdem ratione magni è magnis procreantur parentibus, exercentur, nutriuntur affatim, fascijs non constringuntur. *Hæc ille. Tria ergò requisita, pro pumilione generando adducit. primum: parentis utriusq; parvitatem. Et meritò: Nam*

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in juvencis, est in equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Vnde subditi Archidamum Regem suum pecuniâ mulctarunt, quod pusillam duxisset

uxorem; causâ expositâ, quod ita non Reges, sed Regunculos statuißet ipsis generare. Plutarch. de liber. instit. Quondam etenim non defuêre gentes, quæ è popularibus maximum, & pro rei magnitudine validum regem deligendum censebāt, quales Ætipes, de quibus Herodotus lib. 3. Deindè quid in arcta fasciatione ac constrictione situ sit, tum quantitati diminuendæ, tum figuræ immutandæ in infantibus & caniculis, noto notius est.

Præterea nutrimenti inopiam, quantitatem imminuere in quovis animali, vel quadratus sciverit Coridon. Addo tandem quartam causam, nempe morbos. v. g. Quoties superiores partes ad iustum augmentum perveniunt, brachijs atq; cruribus teneris & parvis manentibus, sicuti in luxationibus non restitutis solet acci-

cidere.

cidere. Sic n. è contrà visi sunt, quos febris quartana in giganteam molem erexit. Quales Græcis ἐκτράπελοι vocantur, in quibus vitium latet, quod insolitum augmentum cum morte immaturiori accersit. Ita n. nostra ætate Antonius ille Antwerpiensis, cum pusillus admodumq́ debilis in lucem prodijsset, ilico puer ex morbo in magnum gigantem evasit. Sic fuit Salamine Euthemenis filius, qui in tres cubitos intra triennium adolevit: sed homo incessu tardus, sensu hebes: puber posteà factus, subita membrorum contractione absumtus est, narrante Plinio. Eodem modo Cornelii Taciti, nobilis Historici, Equitis Romani filius nondum pubertatem attingens, diem suum miserè obijt. Quod si quis quintam superaddi causam posse putet, nempè senium; eò quòd decrepitorum corpora decresсere & abbreviari videantur; sciendum graciliora quidem fieri, at non breviora, id est, caro consumitur, ossa nullâ vi breviantur aut ætate. Apparent autem breviora senilia corpora, quia incurvantur omnes articuli, sicca-

ſiccatis ligamentis & muſculis, ob caloris inopiam tenſis.

Cæterùm ad hæc omnia rectiùs intelligenda, corpus ponendum inſtar Polycleti regulæ, nec nimis parvum, ſed mediocre: quale in Europa æſtimatur, in longitudine 6 pedum Geometricorum, in latitudine autem & craßitie 1 $\frac{1}{3}$ *à quâ proportione qui declinant, improportionati dicuntur, & tantò magis, quantò maior exceſsus vel defectus.*

Nanos v. plerumq; fluxæ vel hebetis memoriæ eſſe, atq; ſomniculoſos, ſtatuit Cœlius Rhodig. lib. 6. Lectionum antiquarum c. 3. & lib. 20. Cap. 8. cum quo tranſigat Wiebgrevius, qui nihil non virtutum homullis adſignat, ipſe homullus.

CAP. II.

De Pygmæi nominibus, atq; *Etymologia.*



Ræcis πυγμαῖος *dicitur à cubito,* πύγων *n. cubitus eſt, unde appellari Pygmæos Euſtathio credimus; ſic & Favorinus*

nus, Henricus Stephanus, & alij in lexicis, ex mensura magnitudinis, supra quam vix ascendit; plerumq; infra 6 videlicet digitos consistit. Cubitus a. communiter continebat 5 palmos, in sacris verò 6, ut Hebræi docent, Ezech. 40, 5, & 43, 13. si modo Ezechiel cubito usus fuerit in sacris ordinario. Palmus continet 4 digitos, digitus 4 hordei grana per latera contiguè disposita. Hinc Pygmæos etiam spithamæos dictos fuisse, Plinius ait lib. 7. c. 2. eò quod longitudine ternas spithamas seu dodrantes non excederent, hoc est 29 pollices vel pedes duos ac 5 pollices; spithama n. mensura est trium, pes a. quatuor palmorum. Pygmæi ergo nomen genti tributum à magnitudine, quod æquarent πυγμὴν *vel mensuram 6 digitis breviorem, quam cubitum, i. e. spatium à cubito usq; ad digitos inflexos seu clausos: aliàs prout vel pugnum apud Suidam & Hesychium, vel luctam seu pugilatum apud Plutarchum significat, his significationibus hìc locus non est.*

Diligentissimus Homeri commentator Eustathius ait: Pygmæi staturâ suâ ne cubitum quidem æquant, denominatur n. à pyg-

à pygone : *Est autē* πυγων *vel* πυγέσιον *intervallū, quod à cubitu flexu ad initium usq; parvi digiti, vel ad manuum extremum, digitis in pugnum, quem Græci* πυγμὴν *vocant, ut inde etiam Pygmæi à pygone dicti videantur, quòd eorum mensura non cubitum totum, sed ad pygmen usq; tantùm impleant, pertingit.*

Dicti sunt etiam Pygmæi Troglodytæ, quod in cavernas se subducerent á gruum & aliorum infestantium iniuriis. Jacobus Philippus Bergomensis , & eum posteà secuti alij , Troglodytæ nomen proprium cuiusdam populi crediderunt, cùm reverá sit adiectivum , denotans quodcunq; cavernas subit : τρωγλοδύω *n. est cavernam subeo; & Hesychius* τρώγας *foramina interpretatur. Hinc paßer, qui cavernas ingreditur,* τρωγλοδύτης *etiam est dictus & Trochilus eße creditur. Non ignoro hac occasione Ciceronem lib. 2. offic. & lib. de divinatione, itim Plinium Melam, atq; alios, populos quosdam Æthiopiæ hoc nomine tanquam proprio apellaße :. Sed appellarunt, ob actionem illam*

sub-

ſubducendi ſe in cavernas : quod vel ex Strabone lib. 1. *liquidum reddi poteſt, qui de Arabibus verba faciens ait eos qui antra ſubirent, à multis Troglodytas fuiſſe dictos, poſterosq; hoc ſuſcipientes, Troglodytas illos appellare conſueſſe, quod hoc nomine apertiùs intelligerentur. Non prætereundum etiam, Pygmæorum populos a Barbaris Catizos fuiſſe vocatos, teſte Plinio l.* 4. *c.* 11.

A quantitatis etiam menſura apud Hebræos dicuntur Pygmæi Gammadim, *cubitales, Ezech* 17, 11. Gomed *enim eſt cubitus vel menſura cubiti, Jud.* 3. 16. *idem quod* Amah: *Hæc ſententia eſt doctiſſimorũ Hebræorũ atq; interpretum ſacræ ſcripturæ de vocis* gammadim *interpretatione, quam vertunt Pygmæos & cubitales, vi vocis nullâ arte violabili. Jta reddiderunt: Hieronymus in hunc locum; Aquila* 1 *editione; Vulgatus, Vatablus, Hugo, Lyra, Pagninus in Lexico ac Bibliis, & cum eo Arias Montanus, atq; ante hos R. David Kimchi, poſteà Mercerus ad Lexicon Pagnini, Avenarius in Lexico, Cunradus Kircherus Auguſtanus in laborioſiſſimo opere de Concordantiis Græcarum*

vocum

vocum Biblic. cum Hebræis , Lucas Osiander in paraphrasi super l. d. Ezechielis, Pintus & Maldonatus in hunc locum. Malè autem vertũt; Chaldæus Cappadoces, Symmachus Medos, septuaginta custodes, & ex Symmachi non 70 versione hunc versum legunt Complutentia & Antwerpiensia exemplaria. Nonnulli verò præconceptâ opinione Pygmæorum gentem fictitiam esse præoccupati in varias se Prothei instar verterunt formas. Hieronymus in hunc locum explicat Pygmæos per bellatòres vel ad bella promtissimos, ἀπὸ τῆς πυγμῆς , *ut certamen significat: cui astipulatur Cornelius á Lapide, ut dicantur á cubito quasi cubitantes vel luctantes (sicut Arietes , quando cornibus pugnant , vocantur cornutantes) quòd cubitorum impulsione ac protrusione decertarint: quales olim erant pugiles. Cæterùm non congruunt hæc cum statione in turribus, ubi scutati fuerunt. aliter ergò adhuc idem vocat cubitantes, quia ad cubitum ancilibus induti & tecti vel cubitis validi & pollentes; adeo ut sub cubitis etiam accipi velit vicinos armos & lacertos. Sed hæc interpretatio ex pygmæis Gigantes facit; de qua infra.*

infra. Forsterus in Lexico explicat Gammadim, *quòd super turribus visi sint præ altitudine turrium hominibus infernè stantibus, tanquam cubitales vel Pygmæi. Sed reclamat scopus & finis stationis in turribus, ut videlicet, si opus, nocerent hosti; at nimis ex altitudine remoti, ut præ remotione parvuli apparerent, minus hosti incommodassent. Itaq; aut in turribus non ita præaltis constituti fuerint verisimile est, aut in turrium altiorum partibus non nimium excelsis.*

Quidam verterunt Gammadæos & Gammadenses nomine proprio, secuti Theodotionem, qui retinet Hebræum Gammadim, *ut Junius & Tremellius in Biblijs, Marinus in Lexico, Junius in Ezechielem, & hos secuti Polanus & Piscator in hunc locum, atq; Buxtorffius in Lexico; quos primo Junius cum sequacibus, Polano, Piscatore & Buxtorfio, facit populos Phœniciæ, nullo planè addito documento, quis unquam illos Phœniciæ populos ita appellarit. Addit Polanus ad maiorem fidem faciendā hoc figmentū: Gammaden fuisse regionē Phœniciæ cubitali formâ proiectā in mare, postea à mari devoratam. Sed rectè hic quidā:*

hanc gentem & hocce eius nomen nusquam reperire potui.

Deinde cubitales quidem dici concedit, non ob staturam, sed quasi brachiales i. e. brachio potentes & robustos. Addit, ut quibusdam placet: intelligit indubiè Junium in Ezechielem l. d. ubi interpretatur Gammadim *viros lacertosos & robustos. Sed pace tantorum virorum dixerim: nullo colore falsitas pingi potest, verum ut fiat. Neq; enim cubitus hebræis idem quod brachium, neq; eâdem voce hebraicâ effertur, neq; cubito robur tribui potest, ut brachio; quippe non tàm solido aut grandi osse constanti: neq; robur magnum ad sagittas eiaculandas requiritur: imo textui hæc glossa non convenit, potiùs Giganteum robur & magnitudinem, quam Pygmæorum parvitatem in turribus Tyriorum latentem præse ferens. Itaq; absurdiùs Cornelius de Lapide in Ezech. per cubitales intelligit maximos Gigantes; qui non pede, sed cubito multiplici mensurantur, qui fuerint certum hominum genus pugnax, totumq; pugnis bellisq; addictum, ut apud Romanos Gladiatores, apud Davidem Cerethi*

& Pe-

& Pelethi, & nunc apud Polonos Cozacki, apud Hungaros Haidones & Huzari, apud Turcas Janizarij Quod revera est ex quolibet facere quodlibet. Quod verò addit Polanus, & cum eo Buxtorfius, Gamaden esse quā civitatem corruptè à Plinio putant dici Gamalen lib. 2. c. 91. coniectura est, quæ fulcimento eget aliquo, primùm, ut mihi videtur, à Franc. Junio inventa, Comment. in Ezech. l. d. quamvis præferat hic interprætationem vocis ceu appellativæ per viros lacertosos & robustos, eò quod scuta illis tribuantur, viris debilioribus inutilia: quasi verò scuta proportione & quantitate, pro scutatorum magnitudine caruissent. Longè probabiliùs est, Pygmæos in turrium constitutos exiguis fenestellis, ut eò rectiùs turres, quibus contra hostes usi sunt veteres, ad robur & vim repellendam comparatæ essent, à sagittarijs peritis (quales Pygmæos fuisse etiam profana tradit historia) defenderentur, & hostes irruentes sagittis arcerentur. Taceo quod de scutis dicitur, ex textu elici, filijs Arvad tribuendum, qui super muros per circuitum.

Itaq; non est quod desperent Junius atq; Polanus rei militari competere Pygmæos in turribus; cùm vel maximè competant. Neq; opus cum Lyrano existimare, eos, positos fuisse non ad tutelam, sed ad irrisionem hostium. Ad hoc n. non tam longè opus fuisset Pygmæos accersere, sed suffecissent pusiones, larvæ; ut homines straminei, &c.

Junius putat adhuc quo ad nomen proprium, solidiùs verti posse Gammadim Sumathenos *in Syria Commagena, quorum mentio est apud Ammianum lib.* 18. *Atq; ita in sacris quidam ludunt suis coniecturis varijs fluctuantibus, ac si in sapientiâ aliquâ sæculari versarentur.*

CAP. III.

Duplex esse Pygmæorum genus, & primum genus aliquando dari.



Ygmæorum differentiam venaturi, eos eliminamus, qui inter nanos minimi in magnatum aulis ludibrij ergò aluntur, longe cubiti mensurā excedentes. Cum n. Pygmæos

mæos à cubito, cuius mensuram non exsuperent, sed infrà potiùs subsistant, dictos præced. cap docuerim: eosdē in duplici discrimine esse ex historijs animadverto atq; colligo. Quosdam casu instar monstrorum genitos, quasi pro miraculo, modò in hac, modò in illâ mundi parte: quosdam pro gente, quæ alicubi sit aut saltim olim fuerit. De primo genere si quis dubitat, illud exemplis varijs ex historiis petitis, hoc capite faciemus innotescere.

M. Antonius habuisse fertur Pygmæum Sisyphum *intra bipedalem staturam, ingenio tamen valentem. Sub Theodosio Imperatore visus in Ægypto quidam incredibili staturæ brevitate, adeò ut perdice maior non videretur. Illud a. inprimis in eo fuit admirandum, quod prudentia polleret, voceq; suavi à Musis non abhorrente, sermone deniq; claro & articulato, generosæ mentis specimen præbente. Vixisse fertur annos circiter viginti. Vide de hac historia Nicephorum lib. 12. Eccles. hist. c, 37.*

Martinus Borrhaus in 2. Sam. 21. Nostrâ ætate, *scribit*, ferunt perfectâ ætate, fuisse virum cubitali longitudine.

Cardanus de ſubtilit. lib. 11. mihi, pag. 458. ait: Quod ad pumiliones attinet anno præterito circumferebatur vir perfectâ ætate, cubiti longitudine in pſittaci cavea.

Jo. Caßanio libello de Gigantibus pag. 76: Ego cùm puer eſſem, *inquit*, memini me vidiſſe Lugduni puſiones duos breviſſimæ ſtaturæ, quæ cubitalem non ſuperaret. Quorum alter barbam habens valdè promiſſam atq; ſubruſam, forma ſatis eleganti conſpiciebatur. Togatus iſte erat, galerum habens eiusmodi, quo pontificius clerus (quem vocant) uti conſuevit. Ac ne quid ad ornatum deeſſet, appoſitum humeris erat doctoratus inſigne, quod vulgò cornetam dicimus. Alter eo erat habitu, qui nobilibus noſtris proprius peculiarisq; eſſe ſolet. Hos ita quùm per ridiculum atq; animi cauſâ induiſſent quidam in ulnis ſuis non ſecùs a atq; infantes geſtabant. *Plura de homuncionibus & nanis exempla referri poßent, niſi res ipſa ſatis vulgata cuiq; pateret.*

Leonhardus Thurneißer in Piſone German.

man. edito lib. 7, c. 84. in Marchia & Lusatia scribit, aliquoties Pygmæorum ossa sub terra reperta, atq; semel integrum sceleton cum cranio 2 pedes & 3 digit. longum. Quia v. in istis partibus (uti & alicubi in Polonia) passim sub terra ollæ reperiuntur, tam affabrè formatæ cum manubriis & striis, acsi tornatæ essent manu artificis, formis & figuris variis, alterius naturæ, quàm eodem modo agentis opificia, opinio est colonorum in iis locis, formari ollas istas subterraneas à Pygmæis, qui cavernas terræ occultas atq; non exploratas incolant: qui nostratibus vocantur Biergemend.

Addunt coloni autumno, hyeme atq; vere *20 pedum profunditate sub terra delitescere, circa tempus Pentecostes a. non nisi unius ulnæ: quo idcirco tempore plurimas inquilini inquirentes effodiunt. Non in Lusatiâ tantum, sed in Thuringia propè arcem Steinam in monte* vicino*, taliá fictilia reperta, quæ* Zwergtopf *vocent, quasi Pygmæorum urnas fictiles, annotavit Gesnerus de fossilibus tit. i. fol. 8. b. De hisce tamen Marchiacis & Lusaticis Pygmæis nihil habeo ulteriùs dicere, incertus,*

 tum

tum an ab iis, an v. ſpiritibus peculiaribus ſubterraneis ollæ iſtæ formentur; tum an inventa oſſa atq; ſceleta Pygmæorum ſint, qui pro caſu, an qui pro gente habendi.

CAPUT IV.

Alterum genus, nempe gentem Pygmæorum eſſe, aut ſaltem aliquando fuiſſe, autoritatibus humanis, fide tamen dignorum aſſeritur.



Uoniam non pauci recentiorum hodie Strabonem ſequuti, gentem eiusmodi unquam fuiſſe aut eſſe præfractè negant, & pro fabula habent quicquid de Pygmæis dicitur; non fruſtraneam huic labori impendemus operam, ſi talem gentem aliquando olim fuiſſe (an autem iam ſit ampliùs, merito dubitatur rectiùs quàm negatur) comprobemus, primùm teſtimonijs autorum fide etiam digniſſimorum, hoc capite: Deinde S. Script. autoritatate & rationibus probabilibus: Tandem ex prolixa deſcriptione apud autores, effectuum

um, loci, aliorumq́; accidentium; quæ tanto numero & diligentiâ confingi minimè potuerunt.

Primus ergò, quod sciam, Homerus Pygmæorum mentionem faciens 3. Iliad. ipsos à gruibus infestari ait:

Αυταρ ἐπεὶ κοσμήθεν ἅμ' ἡγεμόνεσσιν ἕκαςοι
Τρῶες μεν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ισαν ὄρνιθες ὥς
Ηΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει ȣρανόθι πρό,
Αἵτ' ἐπεὶ χειμῶνα φύγον κ' ἄλεσφατον ὄμβρον
Κλαγγῇ ται γε πέντοται ἐπ ωκεανοῖο ροάων
Ανδρασι πυγμαίοισι Φονον καὶ κηρα φέρουσι.

At postquám instructi fuerunt una cum (ducibus suis singuli,
Troiani quidem cum sonitu clamoreq́; in- (cedebant sicut aves:
Velut clangor gruum est in aëre.
Quæ postquám frigus fugerunt & immen- (sum imbrem
Cum clangore hæ volant ad Oceani fluenta
Viris Pygmæis cædem & mortem ferentes:

Ex Ctesiæ Indicis excerpta Photÿ, ad calcem editionis Herodoti per Henr. Steph. in fol. pag. m. 681, sic habent: Media India nigros habet viros, qui Pygmæi appel-

 lantur,

lantur, eâdem qua Jndi cœteri linguâ utentes: ſunt a. valdè parvi: adeò ut bona pars dimidij cubiti magnitudinem, qui autem eorum maximus, duorum cubitorum magnitudinem non ſuperet. Capillum autem usq; ad genua & infra etiam demiſſum, barbam quoq; quibusvis aliis hominibus promiſſiorem geſtant. Atq; adeo poſtquam illis promiſſa barba exorta eſt, nullo iam veſtitu utuntur, ſed capillos quidem à tergo multo infra genua demittunt, barbam autem antè ad pedes usq; protrahunt: deinde cùm totum corpus pilis obduxerunt, ſeipſos cingunt, illis veſtimenti loco utentes, Sed & veretrum illis eſt valdè craſſum, adeoq; magnũ ut ad pedum usq; malleolos pertingat. Sunt porrò ſimi atq; deformes. Oves autem eorum ſunt agnis noſtris pares: boves & aſini ad noſtrorum arietum magnitudinem accedunt: equi item eorum & muli, cæteraq; veterina animalia arietes magnitudine non ſuperant. Horum Pygmæorum tria millia Rex Jndorum in ſuo comitatu habet,

habet. Sunt enim ſagittarij peritiſſimi. Juſtiſſimi autem ſunt, & iisdem quibus reliqui Jndi legibus utuntur. Lepores & vulpes non canibus ſed corvis, milvis cornicibus & aquilis venantur. Lacus eſt apud eos octingentorum ſtadiorum ambitum habens, cui, quoties à nullo vento agitatur, oleum ſupernatat: Quod quidam ex eius medio ſcaphis hauriunt, navigiolis per eum navigantes, atq; eo utuntur. Vtuntur a. & oleo ex ſeſamo & ex nucibus: ſed præſtantius eſt, quod è laco illo hauritur.

Hæc relatio de arte ſagittariâ egregiè convenit cum Ezechiele, de quo cap. ſequenti. Fuit autem Cteſias Medicus Artaxerxis Regis Perſarum, ut Suidas dicit, qui res Perſicas (atq; etiam Jndicas) admiratione dignas multis voluminibus perſequutus eſt.

Ariſtoteles prodeat, cui vel unico præ omnibus fides habenda, cuius diſcipulus Alexander Magnus Jndiam, aliasq; provincias ab aliis non per-

luſtratas

lustratas subegit. Js lib. 8. de histor. animal. cap. 12. de gruibus loquens sic scribit: μεταβάλλουσι γὰρ ἐκ τῶν Σκυθικῶν εἰς τὰ ἕλη τὰ ἄνω τοῦ αἰγύπτου, ὅθεν ὁ Νεῖλος ῥεῖ, ἔστι δὲ ὁ τόπος οὗτος περὶ ὃν πυγμαῖοι κατοικοῦσιν. οὐ γὰρ ἐστὶ τοῦτο μῦθος, ἀλλ' ἔστι κατὰ τὴν ἀλήθειαν. γένος μικρὸν μὲν ὥσπερ λέγεται καὶ αὐτοὶ, καὶ οἱ ἵπποι: τρογλοδύται δὲ, εἰσὶ τὸν βίον. *Gaza ita vertit*: Quæ (*grues*) ex Schyticis campis ad paludes Ægypto superiores, unde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur. Non n. id fabula est, sed certè genus tum hominum, tum etiam equorum pusillum, ut dicitur, est, deguntq; in cavernis, unde nomen Troglodytæ à subeundis cavernis acceperunt. *Sensum quidem assecutus est Gaza, sed contra boni interpretis genium addidit, quæ textus non continet; neq; n. ullo verbo hoc dicit Philosophus, grues cũ Pygmæis pugnare: Deinde cum ait Pygmæos esse genus hominũ; voculã* hominũ *de suo addidit, in codice græco non agnitam. Quamobrem sic vertimus*: Transeunt n. ex Schyticis ad paludes, quæ suprà Ægyptũ, unde Nilus fluit. Est a. locus hic circa quem

quem Pygmæi adhabitant. Non n. eſt hoc fabula, ſed eſt ſecundùm ipſam veritatem. Genus parvum n. ut dicitur, & ipſi & equi. Jn cavernas a. ſe ſubducentes vivunt. *Ubi advertere velim lectorem attentè ad verba Ariſtotelis : Eſſe ita* ſecundùm veritatem, *ſicut dicitur; quod neutiquam niſi certus huius hiſtoriæ dixiſſet: & præmittit :* Non eſſe fabulam ; *ut ſi quis eſſet vel ſuo tempore (uti fortè fuère aliqui, cùm tám ſollicitè fabulæ crimen avertat) vel poſtea futurus quis, cui fabuloſa narratio de Pygmæis cenſeretur, ſententiam mutaret, & ſecundùm ipſam veritatem ita eſſe cum Ariſtotele ſtatueret.*

Philoſtratus lib. 3. de vita Apol. Pygmæos, *inquit*, ſub terra degētes ſupra Gangen poſita loca incolere, & ſicut fama de ipſis prædicat, vivere non vanum eſt.

Plinius lib. 7. hiſt. natur. c, 2. ſcribit : Supra hos, (*nempè qui ſunt ad extremos fines Jndiæ ab oriente circa fontem Gangis*) extrema in parte montium, Spithamæi Pygmæi narrantur, ternas ſpithamas longitudine, hoc eſt ternos dodrantes non

nõ excedentes ſalubri cœlo, ſemperq́;vernante, montibus ab Aquilone oppoſitis, quos à gruibus infeſtari Homerus quoq́; prodidit. Fama eſt, inſidentes arietũ caprarũq́; dorſis, armatos ſagittis veris tempore univerſo agmine ad mare deſcendere, & ova pullosq́; earũ alitum conſumere: ternis expeditionẽ eam menſibus confici, aliter futuris gregibus non reſiſti. Caſas eorum luto pennisq; & ovorum putaminibus conſtrui. Ariſtoteles in cavernis vivere Pygmæos tradit. *Cætera de his ut reliqui. Adrianus Turnebus teſtatur, ſe vidiſſe in pervetuſtis codicibus,* Spythamæos, Pygmæosq́;. *Plinio aſtipulatur Bartholomæus Anglic9.*

Menecles primo collectaneorum, referente Athenæo l. 9. meminit eorum, traditq́; eos non tantũ cũ gruibus, ſed & cum perdicibus decertare. Sic & Baſilis apud Athenæũ Pygmæos aſſerit. Juvenalis Satyra 13 de iis ſic canit:

Ad ſubitas Thracum volucres nubemq́; ſonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis,
Mox impar hoſti, raptusq́; per aëra curvis
Vnguibus, à ſæva fertur grue: ſi videas hoc
Gentibus in noſtris, riſu quatiare, ſed illic

Quam-

Quāquā eadē assiduè spectētur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede vix est al-
Oppianus lib. 1. de piscibus: (tior uno.
Et velut Æthiopū veniunt Niliq́; fluenta
Turmatim Palamedis aves, celsæq́; per al-
(tum
Aëra labantes fugiunt Atlanta nivosum,
Pygmæos imbelle genus parvūq́; fatigāt,
Non perturbatæ procedūt ordine densæ
Jnstructis volucres obscurant aëra tur-
Et Baptista Mantuanus. (mis.
Pygmæi breve vulgus iners plebecula,
(quando
Convenere grues longis in prælia rostris
Sublato clamore fremunt, dūq́; agmine
(magno
Hostibus occurrit, tellus tremit Jndica
(clamant
Littora, arenarūnimbis abscōditur aër,
Omnis & involvit pulvis soleq́; polumq́,
Et genus hoc hominū natura imbelle,
(quietum
Mite facit Mavors pugnax, immane, cru-
(entum.
Citantur á Lipsio lib. 1. Saturnal. cap. 4. Papiniani de Domitiani ludis versus isti, quasi de Pÿgmæis agerent.
His audax subit ordo pumilorū *Quos*

Quos natura brevi ſtatu peracto
Nodoſum ſemel in globum ligavit.
Edunt vulnera, conſeruntq; dextras,
Et mortem ſibi qua manu minentur,
Ridet Mars pater & cruenta virtus,
Cæſuræq; vagis grues rapinis.

Auguſtinus lib. 16. de Civit. Dei c. 8. habet, Pygmæos pugnare cum gruibus, ſed vinci ab eis, famamq; eſſe inſidere arietumq; caprarumq; dorſis &c. planè ut Plinius. Auguſtinum ſequitur Scholiaſtes eius Ludovicus Vives.

Joan. Laurentius Anania propè finem tract. primi ſuæ Coſmographiæ, ex mercatorum relatione tradit, eos in ſeptentrionali Thraciæ parte reperiri (quæ Scbytiæ eſt proxima) atq; ibi cum gruibus pugnare.

Jo. Caſſanio, libello de gigantibus pag. 73, in hæc verba ſolvitur : De Pygmæis fabuloſa quidem eſſe omnia, quæ de iis narrari ſolent, aliquando exiſtimavi: verùm cùm videam, non unum aut alterum, ſed complures claſſicos & probatos authores de his homunculis multa in eandem ferè ſententiam tradidiſſe ; eò

adducor,

adducor, ut Pygmæos fuisse inficiari non ausim.

Joan. Talentonius in Thesauro rerum recondit. lib. 3. c. 21. p. 551. Constare arbitror, debere concedi, Pygmæos non solùm olim fuisse, sed nunc etiam esse, & homines esse, nec parvitatem illam impedimento esse, quo minus sint, & homines sint.

Gellius lib. 9. c. 4. scribit se è Græcia in Jtaliā reducem, Brundusij fasces librorū venalium expositos coëmisse, qui diutino quidem situ squalebant & habitu aspectuq; tetro erant, sed scriptorum non parvæ autoritatis, Aristeæ Proconnesij, Jsigoni Nicæensis, Ctesiæ, Onesicriti, Polÿstephani & Hegesiæ. Jn iis autem inter alia se legisse, non longè ab extremis Jndiæ nasci Pygmæos, quorum qui longissimi sunt, non longiores esse, quàm pedes duos & quadrantem.

Pomponius Mela l. 3, c. 9. appellat ipsos minutum genus, ita benè interpretans verba Aristotelis γένος μικρὸν.

Sicco pede prætereo hic Olaum Magnum (

lib. 2. de Gentib. Septentrional. c. 11. tùm quod autor sit fabulis & mendacijs plenißimus; tùm quod se audîße tantùm scribat, incolas Gronlandiæ pugnare cum gruibus: tandem neq; ideo Pygmæi sunt, si fortè sagittis & hastis, sicut alij homines, grues aliaq; volatilia conficiunt et occidunt.

CAPVT V.

Pygmæorum gens ex Ezechiele, atq; rationibus probabilibus adstrùitur.



Ezechiel vocationem suam tribus capitibus primis exponens, atq; à c. 4 ad 24 prophetiam scribens de Judæis, qui per illud tempus tum in Judæa, tùm in Babylonia habitabant, à cap. 25 usq; ad 32 in gentes exteras, quæ operam suam Judæis affligendis commodaverant, aut ex eorum infortunio voluptatem animo preceperant, prophetiam instituit, easdemq; iis calamitates imminere docet, Ammonitis quidem, Mo-

abitis, Idumæis & Philistinis, cap. 25. Tyro a. cui eversionem prædicit, atq; etiam de ultima Tyri vastatione per Alexand. Mag. exequendâ vaticinatur cap. 26. Denuò autem cap. 27 insanus Tyriorum luxus, eorundemq; exitium describitur, ut quò maior eius fuit gloria, eò conspectior futura sit eiusdem ruina; & Tyrus omnibus gentibus lamenti materia. Luxus a. describitur etiam bellicus; & de hoc inter alia sic loquitur v. 11. Propheta: Filiį Arvad cum exercitu tuo super muros tuos per circuitum, & Pygmæi in turribus tuis fuerunt: scuta sua suspenderunt supra muros tuos per circuitum, ipsi perfecerunt pulcritudinem tuam. Ad quæ nervosè in paraphrasi addidit L. Osiander: Du hast in allen sachen mußen etwas besonders haben. *Nam ex remotißimis quibusvis oris conquisitos fuiße ad luxum variarum nationum homines patet ex versu præcedente; imo paßim toto capite.*

Cæterùm nunc verisimilitudinem sententiæ

 nostræ

nostræ ut ostendamus, restat. Atq; initiò impossibile non esse Pygmæos tales esse, vel saltem olim fuisse nemo non secum statuet, qui casu passim generatorum miram, atq; incredibilem in illa parvitate indolem attentiùs consideraverit. Deinde qui in alijs animalibus magnitudinis insignes differentias notaverit. Exemplo sint oves & agni ad iustam ætatem provecti, in regionibus septentrionalibus unico Regi Daniæ nostro clementissimo subiectis. In Selandia hac nostra pro implenda tonnâ (quo nomine commune vas cerevisiarium nostratibus venit) agni saliti ut plurimum 14 *requiruntur: In Scania patria meâ non nisi* 10*: in Gotia sive Gotlandia insula (unde olim VisiGothi prodierunt, ob eius metropolin etiamnum Visbydictam)* 6*. in Islandia duntaxat* 4. *Et cui non nota insignis ovium Indicarum magnitudo in India? ibidem formicas reperiri corporis magnitudine ingentem canem æquantes quis crederet, nisi huius rei testes haberemus Autores probatissimos Melam lib.*3 *c.* 4. *Isidorũ lib.*12.*c.* 2. *Vincent. nat.hist. lib.* 20.*c.* 143.*Solinum & Thuanũ, qui lib.*24.*historiæ suæ scribit, eiusmodi formi-*

mi-

micā Turcico Imperatori à Rege Persarū dono missā fuisse. Boves certè Frisiorū & Suecorū tam differunt magnitudine; atq; apud nos boves & vituli. Reperitur equidem & in nostris regionibus magnitudinis boum non leve discrimē. Vidi boves, quorum mactatorum unus & ultra tonnas repleverit. Vidi alios, in quibus nulla ulterioris augmentationis spes, quorum quilibet vix $\frac{3}{4}$ tonnæ implendæ sufficiebat. Penè ergo sex vicibus primum genus alterum superavit.

In nullo a. bruto existimo notabiliores atq; insigniores magnitudinis differentias per Europæū orbem observari atq; in equis & canibus. Vidi equos pusillos non paucos, instar canum maiorum Anglicorum; sed vidi etiam Vngaricos (quales & Turcicos esse ferunt, quos non vidi) ad camelorum altitudinem adsurgentes: quorum colla equitibus fuerant pro scutis & aggeribus. Vidi in hac mea patriâ caniculas ad summum staturæ provectas, tantæ parvitatis, ut pugno meo ferè includi potuerint, rabiosulas interea & mordaculas: quæq; hirriente latratu peregrinos á dominabus arcebant; Vidi etiam in Anglia maxi-

maximos equorum pusillorum altitudinem æquantes. Taceo miras in arborum genere magnitudinis differentias; v.g. in malo arbore, quid est malus pumila vel humilis illa instar bacilli ad arborem eiusdem generis proceram? Quæ certè cùm in animalibus & vegetabilibus fiant; cur in humana specie non sit probabile, haut video: inprimis cùm detur magnitudinis excessus Gigantæus; cur non etiam dabitur defectus? Quia ergò dantur Gigantes, dabuntur & Pygmæi. Quam consequentiam ut firmam admittit Cardanus lib. 8. de rerum varietate c. 40. licet de Pygmæis hoc tantùm concedat, qui pro miraculo, non pro gente. Pergimus ergò: Si fuerunt Gigantes pro gente; utiq; etiam verisimile est defectum videlicet Pygmæos fuiße pro gente. At illud verum. Fuiße n. Gigantes ante diluvium, itim post, tempore Abrahami, Mosis, Davidis, itim apud varias gentes sub Xerxe, Alexandro, Augusto, vide sis Joh. Caßanionis libellum de Gigantibus Quid? quod in novo orbe regionem eße scriptores reliquerint; in quâ non nisi gigantes? Et tales fuiße quàm plurimos (non pro miraculo) olim in nostra hac patria & vicinis Borealibus regnis, Norvegia atq; Suecia,

vide-

videantur paßim Saxo Grammaticus & Olaus Magnus. Vnde Gothos olim ob insignem magnitudinem corporũ admiratum Justinianum Imperatorem testatur Procopius: imò ex Giganteâ vastitate appellationem accepisse statuunt: Gigantes n. nostrâ linguâ appellãtur tũ Jetter/*unde Juti, Guthi, et Gothi, tũ* Kempter/ *undè Cimbri, cũ C antiquitus ut K pronunciaretur. Quinimò ex Cæsaris cõmentarÿs liquet, Romanos ob staturæ brevitatem à Gallis derisos fuiße. Quæ præterea non reliquiæ & oßa Gigantum paßim in hac Dania nostrâ conspiciuntur? in quibus visu digna est costa virginis Giganteæ in monasterio Herrisvadensi, cuius Præses, Generosus Eques Dn. Andreas Bille, Regni Daniæ Senator, & meus constantißimus Patronus, non semel mihi illam contemplandam præbuit. Et quoniam Gigantum genus desiiße videtur; eius tamen reliquias vivas, si uspiam, certè in Dithmarsia reperire licet; ubi præ alÿs nationibus proceritate tam mares quàm fœminæ eminent atq; excellunt.*

Ulteriùs ut probabilitatem fulciamus, addendũ sceleton Pygmæi, quod Dresdæ vidimus inter alia plurima, servatum in arce Sereniß.

Electoris Saxoniæ, altitudine infra cubitum, oßium soliditate, proportioneq; tum capitis tum aliorum; ut embryonem, aut artificiale quid eße nemo rerum peritus suspicari poßit. Addita insuper est inscriptio veri Pygmæi, qualis ab Historicis describitur. Vnde autem Elector acceperit, operam dabo ut expiscari poßim.

Sunt qui Pÿgmæos tam magnos eße scribant in Æthiopia, ut sunt pueri 7 vel 8 annorum, veluti legere est in quâdam epistola ad Pontificem Romanum.

CAPUT VI.

Pygmæos eße aut fuiße, ex varijs eorum adiunctis, accidentibus &c. ab Autoribus descriptis ostenditur.

ET nisi specialia multa de Pygmæis ab Historicis in litteras fuißent relata, causam habuißent vel dubitandi dubitantes, vel negandi negantes. Jam quoniam non modò eorum mentio apud Autores iniecta, sed fideliter etiam

etiam de ijs consignata varia; ut magnitudo, locus ac patria, barba, capilli, lingua, forma, virtutes, artes, venationes, animalia eorum, inimicitia & pugna cum nonnullis volucribus; talia figmenti suspicionem de facili poterunt eluere. Quid n. in re fictitiâ tam diligentem operam tot Autores posuissent? Annon hoc operam fuisset ludere?

Ex autoribus ergò probatioribus in scenam prodeant

1. Magnitudo. *Ea autore Ctesiâ, bonam partem est dimidij cubiti, in maximis v. duorum. Plinio lib. 7. c. 2. ternarum spithamarum (unde spithamæi dicti) vel 29 pollicum, id est, pedum duorum & 5. pollic. Gellius c. 4. lib. 9. ait, longissimos inter illos non esse longiores, quàm pedes duos & quadrantem: Juvenalis, more Poëtico, non esse pede uno altiores. Quæ pygmæorum parvitas occasionem dedit proverbio;* Acrothinia Pygmæorum colosso accommodare; *quo inanis eorum opera deridetur, qui minima maximis aptare student. Autorum hic dissensus nullus est. Etenim sicut in nostris hominibus, ita indubiè in Pygmæis non omnes eius-*

dem magnitudinis: sufficit minimam & maximam in iis venari.

2. Locus & patria. *Ctesiæ est media India. Aristoteli l. d. & Plinio l.* 6. *c.* 30. *loca Scbytica ad paludes supra Ægyptum. Scholiastæ Homeri in media Ægypto. Plinio l.* 6. *c.* 19. *& l.* 7. *c.* 2. *ad extremos fines Jndiæ ab oriente circa fontem Gangis in extrema montium parte, salubri cœlo, semperq; vernante, montibus ab Aquilone oppositis. Qui locus etiam iis à Gellio l.* 9. *c.* 4. *adscribitur. Jdem tamen l.* 4. *c.* 11 *Geraniam, quæ est in Thracia, illis tribuit, quæ Thracia cum sit proxima Scbytiæ, confirmat aßertionem Ananiæ supra l. d. eos ex mercatorum relatione in septentrionali reperiri parte. Mela in sinu Arabico illos posuit. Paulus Jovius lib. de Moscovitica legatione docet Pygmæos ultra Japonem esse. Bartholomæus Anglicus l.* 15. *de propriet. rerum c.* 121. *vocat regionem Pygmæam, quæ Plinio in oriente Jndiæ in montanis circa Oceanum. Has autorum dißensiones facile fuerit conciliare: nec mirum diversas relationes à Plinio auditas. Sicut n. Tartari sœ-*

pè

pè ſedes mutant, cum non domibus, ſed plerumq́ tentoriis utantur: ita nil mirũ Pygmæos ſedes mutaſſe ſæpiùs, cum ædiũ loco vel cavernas vel caſulas ex luto, pennis & ovorum putaminibus conſtructas ſubintrent. Quæ ſediũ mutatio ex ipſo Plinio redditur manifeſta, lib 14. c. 11. de Gerania Thraciæ verba faciente, ubi, ait Plinius, Pygmæorum gens fuiſſe *(non iam eſſe) proditur, creduntq́ à gruibus fugatos. Quod ſi conſideraſſet Adrianus Spigelius, Medicus & Anatomicus Patavinus, olim in illa Academia mihi familiaris & commilito, non tàm promptè Ariſtotelem hac parte deſeruiſſet, eò quòd Franciſcus Alvaret Luſitanus loca illa peragraverit, circa quæ Ariſtoteles Pygmæos eſſe ſcribit, nullibi tamen tam parvam gentem à ſe conſpectam tradiderit.*

3. Habitationes: *iuxta Ariſtot. l. d. Ammianum & Philoſtratum, cavernas terræ ſubeunt & incolunt, unde etiam Troglodytæ nuncupati. Plinius lib. 7. c. 2. ait, caſas eorum luto, pennisq́ &*

ovorum

ovorum putaminibus construi. Fortè utrumq; iis in usu; nam utrumq; perfacile.

Eò quòd terræ cavernas inhabitent, non iniuriâ dicti sunt olim Pygmæi Terræ *filij. Figmentum a. & fabula est, quam tradidit de iis Philostratus in imaginibus, in Herculis mentione, eos fuisse, ut Antæum (qui terra natus memoratur) & ut huius fratris sui peremti mortem ulciscerentur, consilio inito adversus Herculem irruisse. Alioquin ex Quintiliano terrâ orti videntur dici, quorum genus abolevit vetustas. Et scribit in Apologetico Florens Seximius, terræ filios dictitari vulgò, quorum sit incertum genus. Et Cæcilius Minutianus Apuleius in lib. de orthographia : ignobiles, ac quorum ignoretur genus, terræ filios à Cicerone & aliijs nuncupari. Præstantissimi enim quiq; Jovis filii à Poëtis dicebantur. Sunt qui terræ filios, sævos dici ac immanes homines putent; quando & Callimachus, immanitate ac truculentiâ præsignes feras terrâ prognatas intelligi voluit. Hinc Gigantes fortè à Lucano dicti sunt terræ filij & terrigenæ, licet Caßanioni, ob monstrosum ortum; undè & Græci quidam Gigantes dici*

volunt

volunt ἀπὸ τοῦ γίγνεσθαι ἐκ τῆς γῆς. *Orpheus a. & Hesiodus hos cæli terræq́ filios esse tradunt, iuxta illud:*

Nomine cœlicolas illos dixêre Gigantes,
Orti quod terrâ fuerint & sanguine cœli.

4. Forma. *Simi sunt & deformes. Ctesias.*

5. Linguâ *usi sunt, quâ cæteri Jndi. Jdem.*

6. Pili: *quibus etiam vestimenti loco utuntur. Nam ut ex Ctesia audivimus, capillum usq́ ad genua, & infrá etiam dimissum, barbam quoq́ quibusvis aliis hominibus promissiorem gestant. Capillos a. à tergo infra genua demittentes, barbam a. ad pedes usq́ protrahentes, totum corpus pilis obducunt, illisq́ se ipsos cingendo vestimenti loco utuntur.*

7. Virtutes & artes *ex eodem. Legibus utuntur quibus alij Jndi. Sunt iustissimi & sagittarij peritissimi, quod pulchrè cum Ezechiele congruit, & Hieronymus ad cap. Ezech. 27 consentit: Quo nomine eorum 3000 Rex Jndorum in suo comitatu olim habuit.*

8. Animalia eorum *quibus utuntur, iuxta Ctesiam, sunt oves agnis nostris pares; boves autē, asini, muli & equi arietes nostros magnitudine*

tudine non superant. Ut ideò fortè dixerit Plinius famam esse, insidere illos sagittis armatos arietum caprarumq́ dorsis. Aristoteles l. d præterea genus equorum apud illos pusillum esse scripto reliquit.

9. Actiones *variæ. 1. ex Ctesia, Venationes, quas instituunt in lepores & vulpes non canibus, sed corvis, milvis, cornicibus & aquilis. 2. Ex Plinio, profectiones ad mare veris tempore, quas instituunt sagittis armati, & ova pullosq́ alitum consumunt, quam expeditionem ternis mensibus conficiant, atq́ aliàs futuris gregibus resistere nequeant. 3. Pugnæ & prælia cum gruibus: asserentibus Homero 3. Jliad. & Plinio atq́ aliis plurimis, à quibus etiã vincantur & fugentur. Plin. lib. 4. c. 11. et Juvenalis l. d. atq́ inducias habeant abscessu gruũ l. 10. c. 23. Neq́ hoc adeò mirandum: Cum & ex nostris hominibus iuvenis aliquando robustus à Cygno vincatur & alarum allisu aliquando ad ossifragium usq́ tundatur: quid ni ergò grues Pygmæis insidiari poterunt, non alis modo, sed & pedibus & maximè oblongo in acutum rostro. Pugnæ*

causam

causam fuisse satas fruges ait Mela, eò quòd cũ illas ipsæ absumebant, in summa erat annus caritate, ut ait Scholiastes Homeri in librum illius tertium Jliados. Hinc Ovidius lib. 6. Fastor.

Nec quæ Pygmæo sanguine gaudet avis;

Non ergo credendum Eustathio in Homerum scribenti, Poëtam per gruum comparationem Troianorum tumultum amplificare; Pygmæos a. tanquam iucundā fabulæ partem more suo inducere. Quod ipsum ex eo & ex Suidâ docet Aldrovandus l. 20. de avibus c. 5. p. 141. Menecles a. 1. collectaneorum, referente Athenæo l. 9. c. 12. non solùm cum gruibus sed etiam cum perdicibus eos decertare tradit.

CAPUT VII.

An Pygmæi sint homines?



Actenus tribus præcedentibus capitibus institutum fuit, an sint vel fuerint olim Pygmæi, declarare. Quidam a. licet negare non sint ausi tam apertam histori-

arum

arũ veritatem, eos quidem exſtare crediderũt, verùm homines non eſſe contenderũt, ſed potiùs ſimiarum genus quoddam, quæ ſententia fuit Alberti Magni l. 1. de animal. c. 3. qui eos vocat homines ſylveſtres, eſſeq; eos non omninò homines, ſed ex parte. Cui aſſentitur Sueſſanus in commẽt. in 8 Ariſt. de hiſt. an. c. 12. & argumentis utitur: quòd non habeant uſum rationis perfectum, & quia careant verecundiâ, honeſtate, iuſtitiâ, iudicio & religione. Eiusdem ſententiæ ſunt Benedictus Varchius de monſtris & Job. Tinnulus in GlottoChryſio; & Paulus Jovius lib. de Moſcovit. Legatione docet Pygmæos magis ad ſimias, quàm ad homines accedere. Opinionem, quòd ſimiarum genus ſint quoddam, complures neoterici ſequuti ſunt, inprimis Geographi, quos non puduit in mappis Geographicis loco Pygmæorum ſimias cum gruibus pugnantes ridiculè depinxiſſe.

Ad opinionem Alberti, atq; aliorũ, reſpondendum abſurdum eſſe dicere ipſos eſſe ex parte homines ex parte bruta, cum medium inter hominẽ & non hominẽ non detur. Deinde Alberto & Sueſſano non dandum, rationis uſu carere eosdem.

eosdem. Sin autem minùs & imperfectiùs ratione, quàm alij, utuntur (de quo tamen nihil certi constat) pari ratione pueri, Bæoti & Cumani adulti, moriones &c. ex numero hominum excluderentur. Et certè quæ capite præcedente allata sunt, rationis usum non infimum aut infirmum arguunt. Eos sine religione, iustitiâ, iudicio &c. esse, nullius gravis scriptoris autoritate firmari potest. Et si vel maximè essent; inde tamen homines eos non esse minimè evinceretur: siquidem talis eorum defectus inde pullulare credi posset, quod ob timorem gruum in cavernis delitescere cogantur; nec iis solis, ut in his peccent, contingat. Benè Cardanus, cuius verba non pigebit adscribere l. 8. de variet. rerum c. 40. pag. 391. Qui v. dixerunt non hominũ hoc esse genus, sed quippiam mediũ, quod neq; regatur, neq; habeat rẽpublicam, loquitur tamen, & imperfectè, ut inter belluas & homines moribus & ratione sint constituti, velut & de Satyris antiquitas fabulatur: hi maiori reprehensione digni sunt. Existimant n. hoc, quoniam hominem pluribus principijs

à belluis differre credunt, velut differt pluribus potentijs, membris, facultatibus atq; operationibus. Homo a. non ita á bellua differt: sed hoc uno quod est ratio. Est autẽ ratio, ut ex uno aliud inferre valeat, quæ est sæpiùs (ut alias dixi) geminata, ut in numeris, in mundi constitutione, tot rerum varietates, tot ornamenta affert: sicut in hypericonis herba pro exemplo videmus. Necesse est igitur animal habere, aut non habere hoc: neq; , inter ista medium potest invenire: quod habet homo est, quod non habet bellua. Si dicas imperfectam habere, hoc esse nequit: quoniam, ut in arcanis demonstratum est, omnis forma perfecta est, & suæ operationis propriæ potens. Si obiicias, animalia quædam quosdam habere sensus hebetes, ut pisces visum: non forma hebes est, sed instrumentum cuius indicio est, quod & inter ipsa quædam præstant aliis, quoniam instrumentum habent præstantiùs: at si forma ipsa & anima circumscriptam haberet facultatem, vel

ſub optimo inſtrumento melior fieri non poſſet. At ſi dicas, tales eſſe Pygmæos, hominum comparatione atq; rationis ipſius, quales ſint piſces, viſus habitâ ratione, in comparatione ad aves, ad quadrupeda: nihilo ſeciùs fatearis oportet, Pygmæos perfectos eſse homines, quoniam eorum forma perfecta eſt: non autem medios inter belluas & homines.

Itaq; quo minùs homines ſint Gigantes, exceßus magnitudinis nihil impedit: ita neq; defectus, quò minùs ſint homines Pygmæi. Verùm enim verò fuerunt plurimi, qui Pygmæos eße, aut nunquam fuiße clarè & contentè negaverint; & hodie qui nil niſi quod ipſi vident, palpantq;, negitent. Ita enim & novator, alias ingenioſißimus, Jo. Goropius, vulgatam tot ſæculis Giganteorum corporum magnitudinem in ſua Gigantomachia, quam aliquot ante annos edidit, audacter pernegat, ut verè videatur ipſe γιγαντομαχεῖν. *Ita quidam ſtolidiores, perſuadere ſibi non ſinunt à ſacris literis primos patres noſtros*

ad 800 vel 900 annos ætatem traduxiſſe, ſed annorum brevitate illam annorum multitudinem ſe poſſe eludere autumant; cùm æquè iis ac nobis luminaria creata fuerint in dies, tempora & annos; & nimiam annorum brevitatem initium generationis filiorum non admittat. Sic nonnulli quæ de latitudine & ambitu mæniorum Babylonis, de Ægÿptiis Pyramidibus, ex 7 orbis miraculis, de immanibus obeliſcis &c. narrari ſolent, conficta eſſe exiſtimant, quùm tamen partim pluribus literarum monumentis, partim reliquiis quibusdam adhuc exſtantibus veritas abundè ſit comprobata. Nam in Babylone, quæ nunc Bagatat appellatur, ferunt ſupereſſe non obſcura vetuſti illius muri veſtigia. Jn Ægypto quoq; antiquæ & ſuſpiciendæ illæ viſuntur Pyramides. Et Romæ 2 ingentes obeliſci conſpiciuntur, quos non ſine admiratione ego in iuventute meâ contemplatus ſum. Non igitur protinus explodenda ſunt, quæ à priſcis accepta hominibus, ſive de occultis naturæ viribus, ſive de inauditis exterarum gentium moribus, ſive de admirandis artificum

operibus,

operibus, fidem ſuperare videntur.

Quidnam porrò potiſſimùm pleroſq; moverit, ut Pygmæorum hiſtoriam pro fabula acceperint, ſequenti diſpiciemus capitulo.

CAPUT VIII.

Argumenta eorum, qui Pygmæorum hiſtoriam fabuloſam cenſent, recitantur & refutantur.

EX autoribus luculentis, qui Pygmæos eſſe, aut fuiſſe inficiati ſunt, deq; iis ſcripta pro commento fabuloſo habuêre, fuit inter veteres primus & ſolus Strabo: qui complures poſtea ex neotericis ſequaces nactus eſt, Cardanum, Budæum, Aldrovandum, Fullerum, atq; alios. Et rationum quidem præcipua momenta, quibus permoveri quis poſſet, congeſſit Cardanus l. 8. de variet. rerum c. 40. confuſo ordine; quæ nos ordinatiùs diſponemus, ſolutiones poſtmodum ſubiuncturi.

I. *Cum omnia orbis mirabilia nostrâ ætate innotuerint, & novis navigationibus aliquoties totus peragratus sit orbis, cur non reperti fuißent Pygmæi? Hæc obiectio etiam Spigelij atq; aliorum est.*

Respondeo 1. *Contrarium testari Mercatorum relationem apud Ananiam suprà cap.* 4. 2. *& licet non inventi eßent vivi à quolibet, pari iure Monocerota & alia negare liceret* 3. *Qui maria pernavigãt, vix oras paucas maritimas lustrãt, adeò nõ terras õnes à mari dißitas.* 4. *Neq; in oris illos habitare maritimis ex capite quinto manifestum est.* 5. *Quis testatum fecit se omnem adhibuiße diligentiam in inquirendo eos ut inveniret.* 6. *Ita in terra habitant, ut in antris vitam tolerare dicantur.* 7. *Si vel maximè omni ab omnibus diligentiâ quæsiti fuißent, nec invẽti; fieri potest, ut instar Gigantum iam desierint, nec sint ampliùs.*

II. *Cardanus vel maximè urget Pygmæos non concedendos eò quod* 8 *solùm annis vivant. Hoc v. absurdum eße his autumat rationibus.* 1. *quod hominis vita tam brevis in una gente eße non poßit.* 2. *Quia neceße eßet aliquas gentes illis proximas* 20 *aut* 30 *etiam annis vivere,* 3. *Si tam parùm viverent, parùm*

rum etiam in utero matris essent. 4. Destituerentur proprio hominis fine, videlicet contemplatione; nam tàm brevi viventes ad summam perfectionem in omnium scientiarum cognitione pervenire non possent.

Ad ipsam obiectionem quod attinet, autor nullus luculentus Pygmæorum ætatem ad octo duntaxat annos contrahit, & si vel maximè hoc quis assereret, veri simile est inter illos ut nos vivere quosdam diutiùs, quosdam breviùs. Sed concesso illo quod ponit adversarius, age despiciamus an quæ dicit absurda inde consequantur. Nam ad 3. cur impossibile? Simile certè affirmat Artemidorus, citante Plinio l. 7. nat. hist. c. 2. In Calingis eiusdem Indiæ gente, quinquennes concipere fœminas, octavum verò vitæ annum non excedere. Ita & qui Pygmæos dicunt octavo ætatis anno mori, dicunt generare quinto. Et autor est Ctesias, in quadam Indiæ gente, fœminas semel in vita parere, genitosq; confestim canescere. Simile videre est in animaliũ generibus aliis. Quod vaccæ tertio vel quarto anno apud nos concipere incipiant cottidianum est; at vidi apud rusticos nostrates nondum biennes peperisse:

immò factum est in hac nostra Selandia, ut vitula vix semestris conceperit, & trima ter pepererit. Taceo Garamantum genus quod non nisi 40 annorum vivit spacio. Ad 2. Non video hîc necessitatem, cum sæpè in terris vicinissimis ob soli diversitatem effecta diversissima. Ctesias n. referente ibid. Plinio, habet gentem ex his quæ appellatur Pandoræ in convallibus sitam ; annos ducenos vivere, in iuventa candido capillo, qui in senectute nigrescat : contra alios quadragenos non excedere annos, iunctos Macrobiis, quorum fœminæ semel pariant : idq; & Agatarchides tradit : Et fœminas septimo ætatis anno parere, senectam quadragesimo accedere volunt Clitarchus & Megasthenes. Jam verò Onesicritus, quibus in locis Jndiæ umbræ non sint, homines vivere annos 130, nec senescere, sed ut medio ævo mori. Et Crates Pergamenos Jndos, qui centenos annos excedant, nominat. Cyrnos Jndorum genus Jsigonus annis centenis quadragenis vivere. Ad 3. facilè solvitur. Vitulus enim 9 menses etiam in utero gestatur ; non tamen eadem illi, quæ homini, ætas & vitæ spacium. Ad 4. Si

hominis

hominis, quà hominis ille finis eßet ; pau-cißimi certe hominum finem illum obtinent: Et integræ nationes barbaræ illo fine destituuntur : An propterea non vel eße illos, vel homines non esse homines affirmabit Cardanus?

III. *Cornelius de Lapide in 27 Ezech. negat Pygmæorum gentem : Quia primus Pygmæorum autor est Homerus Poëta fabulosus. R. I. Nisi probetur omnia apud Homerum eße fabulosa & falsa ; nihil militabit hæc ratio. 2. Autores alij permulti fide digni suprà citati sunt.*

IV. *Idem : quia Autores inter se de loco dißentiunt. Responsum est supra c. 5. de loco.*

V. *Alij inquiunt & obijciunt, pro fabulosis habenda, quæ paucorum oculis conspicienda se exhibent. R. Ridicula obiectio. Quis stupenda plurima in sacris literis recensita falsitatis argueret, quia vel pauci viderunt, vel hodiè similiter non conspiciuntur? Sic & in profanis historijs quædam sunt,*

quæ

5

quæ fidem videntur superare, licet verissima. Exemplo sint formicæ Indicæ, magnos canes æquantes; de quibus supra. Cornu plantabile in Insula Goa, quod ex animalibus mactatis proiectum, radices agit in illa terra, non in aliâ itim, & radicem acquirit braßicæ similem: de quo Linschotus hist. Ind. part. 4. Ind. or. cap. 17. Et quis non pro mero figmento cum Polydoro Virgilio haberet, reperiri anseres in lignis seu arboribus (quas pingit Claud. Duretus) nascentes, nisi rem ita se habere in Scoticis insulis confirmassent, Munsterus in Cosmograph. l. 2. c. de Scotia, Cardanus de varietate rerum. Olaus Magnus l. 19. c. 8. Maiolus tom. 1. canicular. c. 21. Lobelius in Herbario. Hector Boëth. in Scotia descriptione in Insulis Hebridibus, Ortelius in Scotia & Hybernia, Cornel. Scribonius in Epit. histor. de gentibus septentrion. Alex. ab Alexandro de diebus genialibus, Antonius Torquemada in suo Hexamero. Joh. Bapt. Porta in Phytognom. Andreas Thevetus in suâ Cosmographia, Pierius Va-

lerianus in suis Hieroglyphicis. Ioh. Boterus in sua relatione. Aldrovandus in Ornithologia & de Testaceis lib. 3. c. 178. itim Gyraldus in historia Hiberniæ, Saxo Grammaticus, Æneas Sylvius in descriptione Europæ, & alij complures.



Educ. - Med.

[iv.]

CASP. BARTHOLINI

DE
STUDIO MEDICO

Inchoando
Continuando &
Absolvendo

CONSILIUM

Breve atq; extemporaneum.



HAFNIÆ
Excudebat Georgius Hantzsch,
Anno 1628.



Optimè ingenuato & paternarum virtutum æmulo Juveni,

PETRO CHARI-*SIO, Jonæ filio, Medic. & Philosoph. Studioso, amico & affini suo: Nec non filiolis suis,*

BARTOLO, THOMÆ, CASPARO, ALBERTO, IACOBO, & ERASMO

D. D.

CASP. BARTHOLINUS S. S. Theol. Medic. & Philos. Doctor.



CASP. BARTHOLINI
DE STUDIO MEDICO
Inchoando
Continuando &
Absolvendo

Pro accurato & suprà vulgus futuro Medico, Consilium breve atq; extemporaneum.

Quandoquidem, mi Charissi, varijs documentis edoceor, animum te ad artem Medicam, exemplo avi tui materni, Medici et Spagirici olim incomparabilis, & nusquam non celebris, Doct. Petri Severini p. m. appulsurum; mearum partium esse cogitavi, non affinitatis tantùm, sed etiam, & vel inprimis ultimæ patris tuè (heu quanti viri amißi!) in mortis agone voluntatis causâ, hanc curæ tui partem in me suscipere, ut te de studio hoc Asclepiadeo

aggre-

aggrediendo, & cum Deo, nisi propositum mutaveris, perficiendo nonnihil instituerem, idq; eâ fidelitate atq; ingenuitate, quâ proprios filios in id monitos, atq; institutos discupio, si qui forte illorum adolescente ætate huic se studio sint sacraturi: quo nomine eos tecum inscriptione iungere libuit. Quanquàm enim iam anni abierunt, cum omnibus occupationibus Medicis, quà publicè, quà privatim, quà theorian, quá praxin, sepositis, sapientiæ cœlestis doctrinam iuventuti, publicè ac ordinariè, Deo sic vocante, & Magno Rege meo, reliquoq; Magistratu iubente, instillare inciperem: quia tamen artem medicam pro virili, annos non paucos primùm in exteris, apud Germanos, Bohemos, Jtalos, Siculos, Gallos, Belgas, & Britannos, deinde in patria Danorum Academia Regia, docendo & operando, etiam apud Regios & Principes viros, Comites, Barones, & innumerã nobiliũ aliorũq; ignobiliorũ multitudinem, excolui atq; exercui; huic negotio alios edocendo non penitus impar aut insufficiens censebor. Non autem ad pompam, sed ad usum hoc meum erit consilium; ideoq; breviter & ex

tempore

tempore, alijs, iisq; sacris laboribus occupatus, animi mei sententiam vobis, mi Affinis, vosq; filioli mei, aperiam, rebus magis, earumq; momentis, quam locutionis ampullis velificaturus.

Primùm ergo & ante omnia pietatem *vobis commendo, vitæ integritatem, preces cottidianas, amorem verbi Dei, eiusq; auditum:*

Ni Deus affuerit, viresq; infuderit herbis,
Quid rogo Dictamnus, quid panacea iuvat?

Frustra omnis labor suscipitur, omnis peregrinatio, omnis molestia, cura, studiũ, vigiliæ, sine pietate. Animalis homo hanc monitionẽ vel negliget, vel floccipendet, vel fortè ex insania quâdam irridebit; at spiritualis, qui omnia diiudicat, & mentem Dei tenet 1. *Cor.* 2. *animo perpendit, pietatem magnum lucrum esse, ad omnia esse utilem, habereq; cùm præsentis tum futuræ vitæ promissionem;* 1. *Tim.* 4. & 6. *animo secum meditatur, diligentibus Deũ omnia cooperari in bonum* Rõ. 8. *Econtra omnem creaturam ingemiscere, refractariam homini, quando huius vanitati subiecta esse cogitur, ideoq; liberari exoptat,*

neq; homini servire. Quod si ita est, uti revera ita esse spiritus Dei inculcavit, quâ felicitate invitis canibus quis vexabitur? quâ felicitate impius studium aliquod vel meditando tractabit, vel operando exercebit? Videntur sibi quidam sine pietatis studio Medicinam, more Ethnicorum & Judæorum fortè velle aut posse facere, cæterùm aut ad tempus duntaxat durat felicitas; vitiorũ amore omnia in mente & manu coinquinante: aut evigilans conscientia, melancholiam incurabilẽ progenerans perturbat omnia: aut eadẽ mentẽ huius morbi liberã, inquietã anxiamq; in dubiis percurandis, aut malè percuratis reddit casibus. Quæ omnia & singula preces atq; ex verbo Dei solamina potentissimè depellũt. Quãobrẽ in lucro ponet quivis artis huius studiosus, singulis matutinis, præmissis precibus, caput unum atq; alterum ex sacrosanctis Bibliis, non perfunctoriè, sed attentè & meditatè, perlegere; atq; ita ut singulis annis universa Biblia percurrendo absolverit. Nescis n. quisquis es, quia flos es evanidus, dicto citiùs deflorescens, quid serus vesper vehat, et nemo crastinum sibi polliceri poterit: ac si vel

maximè

maximè Nestoris tibi polliceberis annos, quis tamen non illâ cumprimis imbui gestiet doctrinâ, quæ in altera vita usum est habitura, omnibus aliis disciplinis atq; scientiis rerum secularium sempiternâ oblivione sepeliendis.

In adyta Medicorum, illotis, quod dicitur, manibus minimè irrumpendum, sed præmittenda

Linguarum Latinæ & Græcæ, *quibus præcipua huius artis decreta sunt consignata, accurata & minimè superficiaria cognitio. Quid n. ex aliis percipies, aut aliis docendo tandem explicabis, latinè non satis doctus? quid ex Hippocrate vel Galeno benè vel malè dictum æstimabis, Græcanici ignarus idiomatis? Poësis sive Græcorum, sive Latinorum futuro Medico parum vel nihil utilis: iis tamen quibus vena ac indoles, ornamentum. Sic neq; Arabicæ Linguæ magna utilitas: nam etsi Arabes Medici à peritis huius linguæ exactiùs intelligantur; tamen cùm illi à Græcis sua meliora extraxerint, & ne quidem meliora semper assecuti sint: præstabit ex ipso fonte aquas bibere: quàm ex lutulentis inde derivatis lacunis. Satis multa sunt necessaria planè,*

in quibus ætatem insumere dabitur: Non enim frustra dixit 1. Aphor. Coryphæus huius artis: vita brevis, ars longa &c. *Vno saltu qui plures lepores aßequi volet, ingenij acumine, atq; amplitudine, Latinam linguam ex Cornelio Celso, Fernelio, & Joanne Heurnio; Græcam ex Hippocrate & Galeno venabitur: ita rebus pariter Medicis & styli nitori adsuefiet.*

Philosophiæ organa Rhetorica & Logica *non postbabenda; hæc inprimis divinationi inserviens, ubi causæ morborum indagandæ, præsagia & prædictiones instituendæ, signa venanda & colligenda: ubi non fausiter satis sine rationis adminiculo artificiali datur progredi. Jnferior in usu est Rhetorica; non enim verbis sed herbis æger curatur. Præcipui harum artiũ Doctores in meâ Rhetorica & Logica sunt annotati.*

Philosophiam practicam, *quia exigui usus in hoc studii genere, perfunctoriè percurriße sufficiet, atq; ob usum in vita communi non neglexisse penitus. Accuratior tractatio Jurisconsulto neceßaria est, non Medico.*

Metaphysica *etiam nullum penè usum*

Medico

Medico præstat. Ingenij bonitate qui pollent atq; acumine, & otio abundant; inprimis si Philosophi Professores in Academiis futuri, eius dogmata ex præcipuis authoribus haurient, quorum nomina Enchiridion nostrum Metaphysicum post præloquium recitavit.

Physica *verò &* Mathesis *tam sunt in rem Medici, quam Ethica JCti. Ubi n. desinit Physicus, ibi incipit Medicus.*

Arithmeticâ *ad criticas supputationes, ad medicamentorum compositorum examen & resolutionem atq; ad alia utendum: suffecerit vobis Longomontani, præsertim auctior illa & correctior, quæ brevi prodibit; Interim Clavij vel Vrstisij.*

Geometricum *compendium Dybvadij iunioris, Dani, si publicè prostaret, esset perquàm accommodatum. Huius defectu compendiosus est Rhodius, Clavius paulò prolixior, sed lectione dignus. Alii enim plerumq; prolixiores sunt, ideoq; futuro Medico, cui universa natura est contemplanda, tædiosiores.*

Opticam *ex Albazeno, Vitellone & Keplero addiscetis.*

Astronomiam *ex scriptis Tychonis Brahe,*

conterranei nostri; additis Astronomicis Kepleri. Vnus v. pro omnibus sufficiet Longomontanus, Astronomus post Tychonem nulli secundus, affinis noster: Cuius Astronomia Danica evolvenda, doctrinam Triangulorum, Sphæricam, Theoricamq; errantium mirâ dexteritate enucleans.

Astrologiæ *usum in facienda Medicina, quam Iatromathematicam vocitarunt, licet plurimi scripto comprehenderint, ut Marsilius Ficinus, Ganivettus, Guido Villariensis, Aug. Niphus, Chrysogonus Jadertinus, Gauricus, Steflerus, Carellus, Schollius, Transtetterus, Schylander, Boderius, Angelus Blondus, Ferrerius, Peucerus, Galucius, Hasfurtus, Maginus & complures alii: duos tamen postremos cumprimis vobis habete commendatos.*

Jn Physica *compendiosiori familiam ducunt Magirus & Sennertus. Quid verò nos in eadem præstiterimus, iudicium penes lectorem esto. Neq; n. moros eorum mores imitari animus est, qui consilia pro studiis instituendis daturi, sua præ aliis scripta fastuosè extollunt, atq; etiam quæ in rerum natura non reperiuntur, suo nomine adsuto commendant; nihil*

nisi

nisi quod ex suo tanquam Jovis cerebro (unde meras scilicet proijciunt Pallades) profectum, rectum putantes; ac si omnes alij

Sint viles pulli, nati infelicibus ovis.

Nemini quicquam detractum volo: sed aliis detrahentes ex superbiæ spiritu, qui ipsissimus est Satanas, aversor. Neq; n. uni mortali omnem scientiam, prodigiosâ quadam prodigalitate infudit natura, aliis omnibus novercata, sed variè sua dona hominibus distribuit Spiritus, aliis quidem sic, aliis autem alio modo. Vnum sicco pede præterire non possum: Enchiridion Physicum Argentinæ editum, sub meo nomine, me inscio atq; invito; & quod iniquissimum, libros 2 posteriores adiectos à quo nescio, meo præfixo nomine; qui tamen mei non sunt, aut fuerunt unquam. Itane mei calumniandi ansam dederunt? cùm in alijs meis scriptis reperiantur plurima, quæ è diametro cum duobus istis libris dissident. Inspexi primùm Witebergæ in transitu ex Bohemia redux Anno 1624 in Octobri, adstantibus quibusdam meis popularibus: quibus statim de hac mihi illata iniuria conquestus sum, & paulo post amico meo

veteri Dn. D. Ambrosio Rhodio , aliisq; Professoribus. Domum reversus duos libros suppostitios diligentiùs percurri, & deprehendi, penultimum esse totum ex Magiro desumptum, ultimum v. ex Scheibleri tract. de Anima in compendium redacto. Quo animo hæc mihi illata iniuria, Deus novit. Forte ne deesset dicam plagij mihi scribendi occasio, quam quidã ante annos paucos, in Consilio de Studio Medico studiosè quæsivisse visus est, meq; eius reũ fecit in Anatomicis contra propriæ conscientiæ testimoniũ & fidẽ oculorũ cuiusvis hominis literati, qui conferre meas Institutiones Anatomicas cum aliorum potest. Scripsit me omnia in Anatomicis ex Aquapendente & Bauhino bonâ fide descripsisse. At quâ fide hæc de me scripta sint, in admonitione editioni Anatomiæ meæ Rostochiensi subnexâ ostendi. Hoc tamen tum à me omissum : ipsum Bauhinum, virum optimum mihiq; amicissimum , ultimam theatri sui Anatomici editionem , nonnullis ex mea Anatomia , adscripto etiam nonnunquam meo nomine , exauxisse. Existimavit fortè laureatus ille , Danos Bæotos esse, aut

Vervecum in patriâ crassoq; sub aëre natos,

præ aliis : sicut ille, qui mirabatur olim Saxoni

Gram-

Grammatico, Hiſtorico clariſsimo, homini Dano, tantam eloquentiam contigiſſe. Sed querelarum deſino; præſertim cùm qui de me illa ſcripſit, manu ſuâ poſtea teſtatus ſit, ab amanuenſi ſe inſcio & invito verba illa de me irrepſiſſe: ideoq; in aliјs editionibus corrigenda. Quamobrem Chriſtianæ charitatis memor, lubens hanc iniuriam ſcriptori condonabo.

Pro Mineralium, Metallorum, & lapidum natura *omnino coniungendi ſunt Cæſalpinus, Encelius, Libavius, & Ansbelmus Boëtius de Bood.*

In Botanicis, *Lobelius, Tabernæmontanus, Herbarium Tragi cum notis Sebiſiј, Matthiolus Bauhini, & Cluſius. Quanquam viva herbaria propriis manibus colligere & reſervare, lectioni multa Botanices præſtiterit. Modum ac methodum colligendi ac ſervandi vide apud Spigelium in Jſagoge in rem herbariam.*

Jn hiſtoria Animalium, ut avium &c. *conſulendi præ aliis Geſnerus & Aldrovandus.*

Jn Anatomicis, *Veſalius, Laurentius, Bauhinus, atq; quem nuper videre contigit,*

Riolanus iunior. Quodsi Archang. Piccolom. Prælectiones, Columbi, Aquapendentis, Caßerij scripta simul percurratis, operæ dispendium minimè estis facturi. Jnprimis privatæ sectiones animalium, & eorundem partium frequenter instituendæ; & publicæ cadaverum humanorum, quoties fieri potest, frequentandæ. Quoad Jcones, omnes penè quotquot hactenus exierunt, & videre mihi contigit, ex Vesalio desumptæ sunt, nisi quod Aquapendens & Caßerius nonnullas accuratiores de Organis sensuum edidêre; atq; ille insuper de venarum valvulis, hic de vocis instrumentis: Varolus & Archangelus de vero nervorum principio ex medulla cerebri: Laurentius de venis quibusdam uterinis; & Bauhinus de coli ostiolo.

Jn Medica ipsa arte *commendo, priusquam ad Hippocratis & Galeni opera accesßus fiat, Fernelium & Sennerti Jnstitutiones medicas, eiusdemq; de febribus doctißimum tractatum.*

Jn Controversijs & disputationibus Joubertum, Vallesium, Sylvaticum, Mercatum & Horstium.

Jn diæ-

Jn diætetica parte, *Quercetanum, Pisanellum,* & *Bruierinum.* Jn simeiotica *Taurellum. De pulsibus Saxoniam* & *Struthium. De Vrinis Willichium , Reusnerum* & *Fabricium.*

In Curatione *morborum particularium omnium, unicus sufficit Platerus, quem si novit quis, omnes cognorit. Qui volet, coniungere poterit Capivaccium, Mercurialem* & *Rondeletium.*

In Chirurgiâ *præstantes sunt Mercatus, Vesalius, Paræus, Aquapendens, Fabricius Paterniacensis, Felix Wierus. Verùm non pudebit manum in Jtalia* & *Gallijs, ubi optimi Europæ Chirurgi, operi admovere, atq; ex cottidianâ praxi præcipua, non quibusvis lippis* & *tonsoribus nota, notare.*

Jn Pharmacopæa *vulgari, Cordus, Weckerus, Quercetanus, Renodæus, dispensatoriaq; varia perlustranda; imò pyxides* & *cellulæ apud Pharmacopolas frequenter lustrandæ, ne quid Medicum fugiat, quod operæ Pharmacopæorum norunt.*

De cõpositione Medicamẽtorũ *eruditißimè scripse-*

ſcripſerunt Valleſius, Capivaccius, Haſlerus & Tovarius.

Pharmacopæa Spagyrica ſeu Pyrotechnia *curâ & vigiliÿs aßiduis atq; accubuis attendenda, non tantū ex ſcriptis Quercetani, Libavÿ, Crollii, Beguini, Rulandi, Baſilii Valentini, Penoti, Salæ, Mulleri, Finchii, atq; aliorum; ſed quia præcipua Chemiæ arcana inter viros eruditos, imo etiam Principes deliteſcunt; in ea ſemper inter peregrinandum inquiratis, qualia ſunt Tychonis Brahe Nobilis Dani, Petri Severini, Archiatri olim Regis Daniæ, Banniſteri Angli, Hartmanni Haßi, Job. Baptiſtæ Portæ Neapolitani, atq; inprimis Sereniſsimi Regis mei, Chriſtiani quarti &c. Domini Clementiſsimi. Non dubito, mi Petre, Avum tuum maternum D. Petrum Severini, plurima reliquiße in pluteis latentia, quæ facilè ab avunculo tuo impetraveris. Vos verò, mei filioli, ſi ad hanc artem aliquando animum applicueritis, multa volumina rariſsimorum arcanorum tùm ſpagyricorum tum aliorum, quæ magno labore & ſtudio in variÿs Europæ Regnis conquiſivi, in meâ bibliotheca Chymica invenietis. Non ſum*

equidem

equidem nescius, quosdam arcana eiusmodi contemnere, nec multũ de iis laborare, methodo medendi contentos. Verùm, hoc est faciendũ, & illud non omittendũ: Non rarò in casu desperato nobile aliquod desideratur auxilium. Jmmò non pudebit etiam ab aniculis & barbitonsoribus viliora experimenta expiscari, modò probata & sæpè cum successu usurpata.

Manus semper operi admovendæ & carbonibus & vitris: alioquin laterem lavabitis. Theorias Paracelsistarum haurire licet ex Petro Severini, Petrei Nosologia, Warenio & aliis.

Apodemicæ necessitatem Galenus in libello, quod optimus Medicus idem sit Philosophus, asseruit. Non enim omnis fert omnia tellus, sive ex mineraliũ, sive ex vegetabilium, sive animalium generibus. Neq; omnes præclaros Medicos una regio vel provincia coëgit. Vbi quæso tales Medicæ artis, & Spagyricæ præsertim eruditionis antistites in Germaniæ Academiis invenies; quales Witebergæ Daniel Sennertus, & Rostochij Jacobus Fabricius, amici mihi coniunctissimi? Jn Botanicis qui excellere cupiet, certè voti compos fiet

faciliùs

facilius & felicius, ex conversatione D. Jungermanni in Academia Gießena; & D. Burseri in nova Academia Danorum Soranâ, quàm alibi. Sic Anatomicæ sectiones publicæ frequentius administrantur Patavij, Bononiæ, Romæ, Montispelij, Parisijs & Lugduni Batavorum, quam alibi. Horti Medici plantis exoticis referti cultiores, Patavij, Pisis, Bononiæ & Montispelij, quam loco ullo in alio. Medicæ & chirurgicæ praxeos exercitia crebriora, pro spectatoribus studiosis Patavij & Florentiæ, quam ullâ Europæi orbis in parte.

Ex quibus pauculis exempli loco adductis, quid peregrinationes conferre futuro artis Medicæ Doctori poßint, nemo non nisi qui fungus & stipes, intelligit.

Valete, & Deo atq; proximo servire discite. Hafniæ, Anno 1626.



Errata ſic reſtituantur.

In Opuſc. Primo. *Pag. 3. lin. 20, lege, occurrere. Pag. 6. l. 14. Exerc. p. 10. l. penult. niger. p. 13. b. l. 2. inſequentes. P. 20. l. 6. confirmatæ. P. 25. b. l. antepen Quibusdam Æthiopia ut &c. P. 30. l. 8. Monocerotes. P. 43. l. 20. noluiſti. p. 45. b. l. 7. boum furto.*

In Opuſc. ſecundo. *P. 4. l. 4. & tranſparentia p. 9. l. 8. repullulare. p. 17. b. l. 3. ureterum. p. 26. b. l. 12. jaſpis. & l. 18. tentigines.*

In Opuſc. tertio, *P. 3. l. 8. primùm, P. 4. b. poſt quartam lin. lege: Econtrà non pauci magni, ſtolidi, inertes, barbari, impij. Vide &c. P. 5. l. 10. naſci narrant. P. 8. l. 6. Complutenſia. P. 14. l. 13. lacu. P. 13. l. 7. in Verſu Homeri paſſim ſphalmata occurrunt & etiam vocum defectus: ut verſ. 4. legendum,* ἐπεὶ ὄσω : *itim* ἀθέσφατον. *& verſ. ult.* φέρουσαι. *Reliqua, præſertim quà accentus & ſpiritûs, ipſe Lector benivolus reſtituat.*





